DE CROESO ET SOLONE FABULA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA ALBERTINA, ORDINIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS DIE XI M. NOVEMBRIS MDCCCLXVIII

PUBLICE DEFENDET


AUCTOR

RUDOLPHUS SCHUBERT
GRUENHEIDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES AGENT:

R. ARNOLDT, DR. PHIL.
O. SIEROKA, STUD. PHIL.

REGIMONTI PR.
TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.


ABCDEFG
HIJKLMN
OPQRSTU
VWXYZ

De Croeso et Solone novum libellum conscribere inceptum fortasse videatur paene inritum, cum hac in materia quamvis multi doctique viri operam posuerint, tamen nemini eorum sententiam suam ita conroborare adhuc contigerit, ut eam sequendam esse aliis plerisque persuaserit. Omnes enim quicumque Herodotum adnotationibus instruxerunt aut veteris Graeciae historiam conscripserunt non potuerunt quin de narratione illa iudicia sua in medium proferrent neque praeter eos defuerunt qui illam materiam peculiaribus dissertationibus tractandam sibi sumerent: tantum autem abest ut hac disputatiuncularum multitudine res ad liquidum perducta sit, ut quo plura scripta de narratione illa prodierunt eo magis eruditorum hominum iudicia in diversas partes diducta sint. Quae cum ad novam de hac re instituendam quaestionem sane non adliciant, tamen redit spes fore ut aliquid efficiatur, cum ea quae recentiore vel ipso recentissimo tempore de narratione illa conscripta sunt paullo adcuratius consideras. Invenies enim ex tot tamqne doctis viris qui de ea quid sentiant litteris mandaverunt perpaucos tantum animum intendisse ad rem de integro in examen vocandam atque hos quidem ut a principiis non certis et indubitatis temerius profectos neque recte statuisse neque, ut tunc res erat, potuisse statuere, alios autem longe plurimos hanc vel illam priorum sententiam ita amplexos esse, ut aut plane eandem cantilenam canerent aut rem ad arbitrium suum paullulum commutarent vel unam alteramve coniecturam adderent. Quae cum ita sint, operae pretium facturum me esse puto, si tota re denuo examinata et omnibus de hoc argumento dissertationibus perlectis quid equidem ad caussam diiudicandam novi invenerim peculiari libello exponam. Placet autem totam quaestionem ita disponere, ut

primo capite de Croeso et Solone narrationem pro ficta habendam esse ostendam, cum et a chronologia et ab ipso argumento suo non removendas praebeat difficultates; altero capite quo modo fabula orta sit nobis explanandum erit, tertio denique narrationis nostrae addam historiam, ut ita dicam, criticam; nam ea quoque sua fata habuit, cum iam a veteribus scriptoribus mirum quantum transformata atque exornata sit.

Cap. I.

Croesi cum Solone conloquium, temporum rationem adcuratius si persequimur, negotium exhibet haud exiguum. Solon enim postquam Atheniensibus leges condidit (594) peregrinationem suscepit, in qua Croesum eum convenisse Herodotus (I 29) et Plutarchus (Sol. 27) diserte tradiderunt: ex hoc itinere aliquamdiu antequam Pisistratus rerum potitus est (560) Athenas reversus (Plut. Sol. 29) paullo post mortem ibi obisse videtur Hegestrato archonte (559) si Phaniae Eresio credimus, quamquam Heraclides Ponticus multo diutius eum vitam duxisse testis est (Plut. 32). De Croesi aetate quamvis cum inter veteres scriptores tum inter recentioris aetatis viros doctos magna dissensio sit, tamen pro certo dici posse videtur eum eo demum tempore Alyatti patri regno successisse, quo Solon ex itinere iam redux Athenis commorabatur. Quas difficultates chronologicas ne ipsos quidem veteres fugisse ex Plutarchi Solone intellegimus, ubi haec verba leguntur (cap. 27): *Τὴν δὲ πρὸς Κροῖσον ἔντευξιν αὐτοῦ* (*'Σόλωνος*) *δοκοῦσιν ἔνιοι τοῖς χρόνοις ὡς πεπλασμένην ἐλέγχειν. Ἐγὼ δὲ λόγον ἔνδοξον οὕτω καὶ τοσούτους μάρτυρας ἔχοντα καὶ, ὃ μεῖζόν ἐστι, πρέποντα τῷ Σόλωνος ἤθει καὶ τῆς ἐκείνου μεγαλοφροσύνης καὶ σοφίας ἄξιον οὔ μοι δοκῶ προήσεσθαι χρονικοῖς τισι λεγομένοις κανόσιν, οὓς μυρίοι διορθοῦντες ἄχρι σήμερον εἰς οὐδὲν αὐτοῖς ὁμολογούμενον δύνανται καταστῆσαι τὰς ἀντιλογίας.* Recentiore tempore cum ex difficultatibus illis se expedire studuerint, quas vias tentaverint nunc age consideremus.

Ac primum quidem Meursi sententia nobis percensenda est, qui Herodotum et Plutarchum errare vult, cum ad prius Solonis iter referant quae ad posterius pertinere Diogenes

Laertius aliique testentur: neque enim cum ad leges suas confirmandas in decennium peregre abisset Solonem Lydiam visisse, sed illo potius tempore quo republica a Pisistrato occupata de omnibus rebus desperans exilium voluntarium subisset (cf. Meursius, Solon sive de eius vita, legibus, dictis atque scriptis liber singularis, Hafniae 1632 pag. 115). Cui Meursi sententiae nostris quoque temporibus multi doctique viri adstipulati sunt velut Huebnerus ad Diog. I 50 p. 209, Ulricius Gesch. d. hell. Poes. II p. 435, Dunckerus Gesch. d. Alterth. II p. 531 Anmerk., Steinius et Abichtius ad Her. I 29, alii. Ne quis quaerat quo iure Herodoti et Plutarchi auctoritati sequioris aetatis scriptorum testimonia tam temere praeferre liceat, Dunckerus his verbis legentium oculos praestringere conatus est; dicit enim: „Nachdem Pisistratus sich trotz aller Anstrengungen Solons in Athen zum Tyrannen gemacht hatte, blieb Solon nach Plutarch, der hier indesz keine Quelle angiebt, in Athen, was nach Solons Charakter unwahrscheinlich ist. Glaublich ist, dasz er es vorgezogen hat, nicht unter der Tyrannis und einem Manne gegenüber zu leben, der sein Werk zerstört und der in Solon den gefährlichsten Widersacher sehen muszte, nicht unter einem Volke, dessen Thorheit er nach seinen eigenen Worten verachtete; vielmehr muszte er wünschen seine letzten Tage in Ruhe zu beschlieszen.“ Ex hominum moribus quid quoque in casu fecerint concludere cum iam per se res sit admodum lubrica, tum hac in caussa Danckeri illa ratio minime probari potest: equidem enim iudico virum sapientem qualis Solon fuit de salute patriae, de qua optime meruerat, non statim desperavisse, sed potius, ut Plutarchus tradidit, omnem auctoritatem suam interposuisse, ut Pisistratum ad leges suas observandas commoveret. Parum profecto Solonem si fugisset sibi constaturum fuisse manifestum est, cum ipse legibus suis iusserit, ut omnes quicumque seditione atque secessione populi in duas partes facta ad alterutram partem se non adiunxerint, sed solitarii separatique a communi malo civitatis secesserint, domo et patria fortunisque omnibus carerent. — Sed missis his quae sentio esse leviora Meursium eiusque sententiae addictos ex ipsis veterum libris refellere coner, cum ostendam alterum quo nituntur Solonis

iter a posterioris aetatis scriptoribus Graecis commentum esse. Testem illius itineris ante omnes adferunt Diogenem Laertium apud quem haec verba leguntur (I 50). „*Ἤδη δὲ αὐτοῦ (Πεισιστράτου) κρατοῦντος οὐ πείθων ἔθηκε τὰ ὅπλα πρὸ τοῦ στρατηγείου καὶ εἰπών· „ὦ πατρίς, βεβοήθηκά σοι καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ“ ἀπέπλευσεν εἰς Αἴγυπτον καὶ εἰς Κύπρον καὶ πρὸς Κροῖσον ἦλθεν.* His de verbis uti recte iudicetur duae res animadvertendae sunt, altera Diogenem quamvis multis verbis de Solonis vita disserat, tamen de priore decennali eius itinere ne verbum quidem dicere, altera profectionem a Diogene commemoratam simillimam esse decennali Solonis itineri a Plutarcho descripto, cum in utroque primum in Aegyptum pervenerit, deinde Cyprum in insulam, postremum ad Croesum regem. Simili modo Suidas nec prioris Solonis peregrinationis meminit et ad posterius eius iter ea tantum refert quae Plutarchus de priore tradidit neque facile invenias scriptorem qui idem duorum itinerum mentionem faciat, sed pars antequam Pisistratus tyrannidem adeptus est, pars post illud tempus Solonem peregre abisse contendunt. Ex his iam satis conligi posse opinor Solonis fugam a Diogene commemoratam non diversam esse a decennali eius itinere ab Herodoto et Plutarcho descripto videsque quantopere etiam nostri aevi viri docti velut Steinius et Abichtius (ad Her. I 29) lapsi sint, cum Diogene et Suida nitentes duo Solonis itinera commemorent. Praeivit eis Meursius qui, cum veterum scriptorum de tempore quo Solon profectus sit iudicia in diversas partes abire non perspexisset, duo nimirum itinera ad eum referre non dubitavit, qua quidem re litem illam inter veteres scriptores ortam nimis celeriter atque admodum rudi ratione diremit. Sed quaestionem illam ab eo obscuratam potius quam ad liquidum perductam denuo suscitemus et videamus utrum Herodotus an Diogenes an uterque fortasse falsa de Solonis itinere rettulerit. Atque ante omnia necessarium esse videtur ut ipsius Solonis verbis, quoad eius fieri potest, nitentes ea quae de itinere eius cognosci possunt componamus. In Aegypto eum fuisse adparet ex Plut. Sol. cap. 26 (Bergk. fr. 28). *Πρῶτον μὲν οὖν εἰς Αἴγυπτον ἀφίκετο καὶ διέτριψεν, ὡς καὶ πρότερον αὐτός φησι.*

Νείλου ἐπὶ προχοῇσι Κανωβίδος ἐγγύθεν ἀκτῆς.

Non est cur Plutarcho diffidamus cum addat Solonem diutius in Aegypto commoratum sacerdotum ibi institutione usum esse: nam haec quoque ex Solonis carmine sumpsisse potest. Eodem capite Plutarchus versus memoriae prodidit quos Solon ex Cypro decedens ad Philocyprum insulae illius regem conscripsit (Bergk. fr. 19):

νῦν δὲ σὺ μὲν Σολίοισι πολὺν χρόνον ἐνθάδ' ἀνάσσων
τήνδε πόλιν ναίοις καὶ γένος ὑμέτερον
αὐτὰρ ἐμὲ ξὺν νηὶ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου
ἀσκηθῆ πέμποι Κύπρις ἰοστέφανος·
οἰκισμῷ δ' ἐπὶ τῷδε χάριν καὶ κῦδος ὀπάζοι
ἐσθλὸν καὶ νόστον πατρίδ' ἐς ἡμετέρην.

(Carminis illius Herodotus quoque mentionem facit V 113). Versu quinto Solon respicit ad Solos urbem a se conditam, unde adfatim intellegitur eum in Cypro quoque per longius tempus commoratum esse. Quo tempore Solon profectus sit ex fragmentis eius non quidem adparet, sed sumere ex eis licet eum aliquamdiu ante Pisistrati tyrannidem Athenis versatum esse. Legimus enim apud Diodorum Exc. Vat. T. III p. 23 Dindf. (Bergk. fr. 9) *λέγεται Σόλων καὶ προειπεῖν τοῖς Ἀθηναίοις τὴν ἐσομένην τυραννίδα δι' ἐλεγείων·*

ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης
βροντὴ δ' ἐκ λαμπρᾶς γίγνεται ἀστεροπῆς
ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται εἰς δὲ μονάρχου
δῆμος ἀϊδρίῃ δουλοσύνην ἔπεσεν.
λείως δ' ἐξάραντ' οὐ ῥᾴδιόν ἐστι κατασχεῖν
ὕστερον, ἀλλ' ἤδη χρὴ περὶ πάντα νοεῖν.

Eodem pertinent Diogenis verba I 49 *ἧξας γὰρ (Σόλων) εἰς τὴν ἐκκλησίαν μετὰ δόρατος καὶ ἀσπίδος προεῖπεν αὐτοῖς τὴν ἐπίθεσιν τοῦ Πεισιστράτου· καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοηθεῖν ἕτοιμος εἶναι, λέγων ταῦτα· „ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν μὲν σοφώτερος, τῶν δὲ ἀνδρειότερός εἰμι. σοφώτερος μὲν τῶν τὴν ἀπάτην τοῦ Πεισιστράτου μὴ συνιέντων, ἀνδρειότερος δὲ τῶν ἐπισταμένων μέν, διὰ δέος δὲ σιωπώντων. καὶ ἡ βουλὴ Πεισιστρατίδαι ὄντες μαίνεσθαι ἔλεγον αὐτόν· ὅθεν εἶπε ταυτί·*

δείξει δὴ μανίην μὲν ἐμὴν βαιὸς χρόνος ἀστοῖς,
δείξει, ἀληθείης ἐς μέσον ἐρχομένης.

Constat etiam, ut opinor, Solonem iam post latas leges illud iter suscepisse, non modo quia omnes veterum fabulae in hoc consentiunt, sed etiam quia antequam archon erat non nisi mercaturae faciendae caussa peregrinatus est (Plut. Sol. 2), ad quod quidem quod in Aegypto et in Cypro per complures annos mansit parum quadraret. — Quamvis pauca ex Solonis fragmentis de itinere eius discamus, tamen in eis adquiescendum nobis erit, cum ea quae praeterea sciri possunt non tanti sint, nisi forte narrationibus fidem dare libet, quas fabularum in numero reponendas esse aut per se patet aut admodum veri simile est*). Atque videamus, num ea quae

*) Volneio quidem ostendere contigit (Chronologie d'Hérodote. Paris 1808. I p. 55) Solonem post leges conditas ad eas explicandas plus viginti annos Athenis commoratum esse, ubi convenisset Anacharsin Eucrate archonte (592 a. Chr. n. cf Diog. I 101) et Thespin tragoedum ante annum 576: post non nullos annos in Aegyptum eum profectum esse ad Amasin regem, qui ad regnum pervenit 570, et in Lydiam ad Croesum. Atque haec quidem sic disputata tametsi veritatis aliqua specie non carent, diligentius explorantis ac deliberantis adsensum non merentur. Anacharsin Solonem convenisse duobus narrationibus comprobant traditis a Plutarcho Sol. 5. Narrat enim ibi Anacharsin, cum Athenas pervenisset, Solonis ivisse domum et cuidam ex familia mandasse nuntiaret Anacharsin adesse pro foribus, ut eius conspectu et hospitio frueretur. Servulum intus haec nuntiasse Soloni eiusque iussu hoc illi renuntiasse, propriis in regionibus hospites fieri. Haec Anacharsin statim sic retorsisse, ut diceret, illum nunc esse in patria atque adeo eum oportere hospites facere. Solonem promptum viri ingenium admiratum ad se continuo admisisse eum et in amicissimis habuisse. Praeterea Anacharsis cum Solone quondam colloquens leges aranearum telis comparasse dicitur: nam ut illae infirmiora animalia retineant, valentiora transmittant, ita his humiles et pauperes constringi, divites et potentes non adligari. — Quo modo factum sit, ut Solonis et Anacharsis nomina his narratiunculis coniuncta sint, facillime, opinor, intellegitur. Notum enim est Graecos posteriore potissimum aetate fabellas saepius finxisse cum dicterio quodam callide et facete invento nomina et scaenam circumspicerent. Itaque si philosopho peregre adveniente opus erat, quem aptiorem invenire potuerunt quam Anacharsin Scytham? Nec minus idoneus erat Anacharsis ad iudicium de his vel illis Graecorum moribus et institutis faciendum. Quam personam quam saepe in Graecorum fabellis egerit, quicumque Diogenem evolverit facile intelleget: atque optime Anacharsin decebat de Graecorum legibus illo modo iudicare, quoniam Scythas sine legibus vivere notum erat. De legibus autem ubicumque agebatur fieri non potuit quin alteram personam

Herodotus de Solonis itinere rettulit fide digna sint an non. Legimus apud eum I 29: ..... *Σόλων, ἀνὴρ Ἀθηναῖος, ὃς Ἀθηναίοισι νόμους κελεύσασι ποιήσας ἀπεδήμησε ἔτεα δέκα κατὰ θεωρίης πρόφασιν ἐκπλώσας, ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι τῶν ἔθετο. αὐτοὶ γὰρ οὐκ οἷοί τε ἦσαν αὐτὸ ποιῆσαι Ἀθηναῖοι· ὁρκίοισι γὰρ μεγάλοισι κατείχοντο δέκα ἔτεα χρήσεσθαι νόμοισι τοὺς ἂν σφι Σόλων θῆται.* Animadvertendum est Herodotum coniunctivo *θῆται* addita vocula *ἂν* usum esse, non indicativo *ἔθηκε,* unde adparet Athenienses ex eius quidem mente iam ante leges conditas ius iurandum illud Soloni obtulisse; non enim audiendus est Baehrius qui putat coniunctivum illum pendere ex *χρήσεσθαι* futuro quod antecedit. Herodoti sententiam secutus esse videtur Demetrius Triclinius qui ad Trachiniarum initium haec adnotavit: *Φασὶν Ἀθηναίους αἰτήσασθαι Σόλωνα νόμον γραφὴν, τὸν δὲ δεδιότα τὸ ἀψίκορον αὐτῶν ὅρκον αἰτῆσαι αὐτούς.* Athenienses igitur, si Herodoto credamus, ab a. 594 usque ad a. 584 iure iurando obstricti erant. Eodem tempore Solonem peregrinatum esse necesse est, si re vera ne leges commutare cogeretur metuit; nam post annum 584 Athenienses iam nulla re quo minus ipsi id facerent impediebantur. Vides ergo ex Herodoti sententia Solonem statim a latis legibus in decennium peregre abisse. Idem apertis verbis dicit Plutarchus comp. Sol. et Publ. cap. 3 *Τὴν μὲν γὰρ Σόλωνος πολιτείαν αὐτὸς ἐπεῖδε Σόλων καταλυθεῖσαν, ἡ δὲ Ποπλικόλα μέχρι τῶν ἐμφυλίων πολέμων διεφύλαξεν ἐν κόσμῳ τὴν πόλιν. ὁ μὲν γὰρ ἅμα τῷ θέσθαι τοὺς νόμους ἀπολιπὼν ἐν ξύλοις καὶ γράμμασιν ἐρήμους τοῦ βοηθοῦντος ᾤχετ᾽ ἀπιὼν ἐκ τῶν Ἀθηνῶν* .... Sed revertamur ad Herodoti locum modo citatum; secuntur ibi haec verba: *Αὐτῶν δὴ ὦν τούτων καὶ τῆς θεωρίης ἐκδημήσας ὁ Σόλων εἵνεκεν ἐς Αἴγυπτον ἀπίκετο παρ᾽ Ἄμασιν καὶ δὴ καὶ ἐς Σάρδις παρὰ*

---

darent Soloni. Quae cum ita sint, Solonem re vera Anacharsin vidisse ex narrationibus illis concludi nequit. — Quod vero Thespin Solon reprehendisse dicitur, quod tragoedias doceret, inutilia istius modi commenta esse ratus, ea re Volneius niti non debat postquam iam Bentleius dixit opusc. phil. p. 303 Lips : *Finxit hoc divulgavitque nescio quis de Solone tamquam quod conveniret personae prudentis legislatoris.* De Amasis cum Solone consuetudine quid censeam modo explicaturus sum.

Κροῖσον. Manifestum est haec eis quae antecedunt repugnare, cum Amasis anno demum 569 vel fortasse 570 ad regnum pervenerit. Utro igitur nobis standum est? Mihi quidem, ut statim dicam quod sentio, Herodotus et hic et illic fabellis circumventus esse videtur. Quis enim sibi persuadeat, quaero, Athenienses tam insipientes fuisse, ut eas leges quas nondum cognoverant servaturos se esse iurarent? At dices credendum potius esse Plutarcho, cum post leges conditas Athenienses iuravisse tradiderit (Sol. 25). Sed vide ne posteriore tempore perspecta ista stultitia quid veri ex fabula retinendum sit quaerentes illo modo Herodotum conrigere ausi sint. Potest hoc ad eosdem fortasse referri quibus pro decem quos Herodotus commemoravit annis centum annos ponere placuit. Si igitur ea quae de iure iurando illo narrantur in suspitionem vocamus ea quoque non nihil labefactantur quae de Solonis itinere statim a latis legibus suscepto tradita sunt, cum quid Solon itinere illo sibi voluerit non iam perspiciatur. Haec mihi reputanti in mentem venit etiam de aliis non nullis legislatoribus similia adferri. Fertur enim Lycurgus (Plut. Lyc. 29) postquam Lacedaemoniis leges condidit peregre abisse iuratisque illis se secundum eas donec redeat victuros esse sibi ipse mortem conscivisse, ne in patriam reversus inmutare leges cogeretur. Hanc narrationem confictam esse iam neminem fore spero quin concedat. Ne ea quidem quae de Pittaco traduntur neglegenda esse puto; legimus enim in Diogene I 75: *Τότε δ' οὖν τὸν Πιτταχὸν ἰσχυρῶς ἐτίμησαν οἱ Μυτιληναῖοι, καὶ τὴν ἀρχὴν ἐνεχείρισαν αὐτῷ. ὁ δὲ δέκα ἔτη κατασχὼν καὶ εἰς τάξιν ἀγαγὼν τὸ πολίτευμα, κατέθετο τὴν ἀρχὴν, καὶ δέκα ἐπεβίω ἄλλα.* His postremis decem annis Pittacum peregrinatum esse Graeci putarunt cum eum Croesum quoque, ut infra exponemus, convenisse narrassent. Sed exemplum illud etiam alia de caussa magni nobis aestimandum est, cum optime inde discamus quam prompti Graeci fuerint ad decem annorum numerum fingendum. — Cum igitur de decennali illo Solonis itinere nihil credendum esse cognoverimus, in eo quod Amasi regnante in Aegypto fuerit adquiescere consentaneum esse videtur. Sed haec quoque ne nimis celeriter concedamus admodum cavendum est. Jam enim supra cognovi-

mus Solonem, antequam Pisistratus rerum potitus est, diutius Athenis versatum esse, cum cives ne dolis atque insidiis eius circumveniantur carminibus monuerit. Praesensit nimirum eius tyrannidem, cum senatum in annos magis magisque hominibus ei deditis compleri perspexisset. Etiam in Cypro nec minus in Aegypto quoque per complures annos Solonem commoratum esse iam scimus. Quae cum ita sint, nescio an negandum sit eum Amasi regnante in Aegyptum pervenisse. Equidem coniciam Herodotum hoc fere modo in errorem adductum esse. Dicit enim II 177 *νόμον τε Αἰγυπτίοισι τόνδε Ἄμασίς ἐστι ὁ καταστήσας, ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων ὅθεν βιοῦται· μὴ δὲ ποιεῦντα ταῦτα μηδὲ ἀποφαίνοντα δικαίην ζόην ἰθύνεσθαι θανάτῳ. Σόλων δὲ ὁ Ἀθηναῖος λαβὼν ἐξ Αἰγύπτου· τοῦτον τὸν νόμον Ἀθηναίοισι ἔθετο· τῷ ἐκεῖνοι ἐς αἰεὶ χρέωνται, ἐόντι ἀμώμῳ νόμῳ.* Vix dubitari potest quin Amasis Aegyptiis hanc legem tulerit, quippe qua efficere voluerit, ut quotidiano victu quaerendo occupatis otium non sit ad insidias tyrannidi struendas (cf. Perizon. ad Ael. V. H. X 14). Apud Athenienses quoque eius modi legem viguisse negari non potest, sed errat Herodotus, cum ex Aegypto eam petitam esse contendat; nam Atheniensium lex illa iam Draconti velut auctori adtribuenda est (cf. Baehr. et Stein.) Videmus igitur tamquam novo exemplo comprobatum Graecos leges saepius ad Solonem rettulisse quae minime ad eum pertinerent. Praeterea ex loco illo optime cernitur, quanto sudio Graeci sua ipsorum instituta ab aliis populis et maxime ab Aegyptiis deducere conati sint. Cum vero Solonem in Aegypto fuisse notum fuerit, quid mirum quod legem illam eum in Graeciam importasse putaverunt. Cum fabula hoc modo orta Solonis cum Amasi consuetudine contineatur, Herodotum hac re cum II 177 tum I 30 deceptum esse mihi quidem admodum veri simile est. — Sed haec de Herodoto. Post eius tempora per non nulla saecula nihil novi de Solonis itinere a scriptoribus adfertur, cum omnes eius vestigiis institisse videantur. Quo in numero etiam Aristotelem fuisse concludendum est ex Pseudoheraclide *περὶ πολιτειῶν* 1. *Ἀθηναίων: Σόλων νομοθέτης Ἀθηναίων χρεῶν ἀποκοπὴν ἐποίησε, τὴν σεισάχθειαν λεγομένην· ὡς δὲ διώχλουν*

αὐτῷ τινες περὶ τῶν νόμων, ἀπεδήμησεν ἐς Αἴγυπτον. Deinde primus Valerius Maximus Solonem, cum Pisistrati tyrannidem fugeret, profectum esse contendit. Dicit enim V. 3: *Solon senectutem Cypri profugus exegit neque ei in patria, de qua optime meruerat, humari contigit.* Non autem errare mihi videor, cum iam Heraclidem Ponticum posterioris illius itineris adferam auctorem. Legimus enim in Plutarcho (Sol. 32): *Ἐπεβίωσε δ'οὖν ὁ Σόλων ἀρξαμένου τοῦ Πεισιστράτου τυραννεῖν, ὡς μὲν Ἡρακλείδης ὁ* Ποντικὸς *ἱστορεῖ, συχνὸν χρόνον, ὡς δὲ Φανίας ὁ Ἐρέσιος ἐλάττονα δυοῖν ἐτῶν. Ἐπὶ Κωμίου μὲν γὰρ ἤρξατο τυραννεῖν Πεισίστρατος, ἐφ' Ἡγεστράτου δὲ Σόλωνά φησιν ὁ Φανίας ἀποθανεῖν τοῦ μετὰ Κωμίαν ἄρξαντος.* Heraclides, si Pisistrato iam dominante Solonem peregrinatum esse credidit, nimirum etiam mortem eius compluribus annis differre coactus erat. Non dubito Solonis, Pisistrati, aliorum epistolas complures servatas a Diogene I 43, 44, 53, 64—67, 93, 113, quibus voluntarii illius Solonis exili mentio fit, hoc loco silentio praetermittere, cum post Valeri vel certe post Heraclidis tempora eas conscriptas esse iam neminem negaturum esse sperem. — Sed qui fit, ut per compluria saecula Solonis fugae illius nullus scriptor mentionem fecerit? Num fortasse omnes eam ignorabant, quippe cum posteriore demum tempore conficta esset? Haec suspitio Plutarchi de Solone libro ita confirmatur, ut ad ipsam veritatem adcedere videatur. Legimus enim cap. 30: *Καὶ τὸ λοιπὸν ἡσυχίαν ἦγε (Σόλων), καὶ τῶν φίλων φεύγειν παραινούντων οὐ προσεῖχεν, ἀλλὰ ποιήματα γράφων ὠνείδιζε τοῖς Ἀθηναίοις*

εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι' ὑμετέρην κακότητα,
μή τι θεοῖς τούτων μῆνιν ἐπαμφέρετε.
αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατ' ἐρύματα δόντες,
καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην.

Ἐπὶ τούτοις δὲ πολλῶν νουθετούντων αὐτὸν ὡς ἀποθανούμενον ὑπὸ τοῦ τυράννου καὶ πυνθανομένων, τίνι πιστεύων οὕτως ἀπονοεῖται, „τῷ γήραι" εἶπεν. Οὐ μὴν ἀλλ' ὁ Πεισίστρατος ἐγκρατὴς γενόμενος τῶν πραγμάτων οὕτως ἐξεθεράπευσε τὸν Σόλωνα τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος καὶ μεταπεμπόμενος, ὥστε καὶ σύμβουλον εἶναι καὶ πολλὰ τῶν πρασσομένων ἐπαινεῖν. Solonem paullo post mortem obisse non video cur Phaniae

credere cunctemur: nam ut ab eis quae modo disputavimus discedamus, tamen iam ea de caussa Heraclidi Phanias anteponendus est, quod archontis nomine addito ipsum quo Solon decessit annum significavit. — Postquam decennale Solonis iter ab Herodoto commemoratum tempore quodam ab ipsorum veterum hominibus doctis usque ad Pisistrati tyrannidis tempus dilatum esse cognovimus, quaerere suboritur quanam re ut id fecerint commoti sint. De quibus ut non satis explorate iudicari liceat, at fortasse haud improbabilis est haec coniectura mea. Cum enim res ex omnibus quae in Solonis itinere evenerunt longe celeberrima scituque dignissima, dico illud cum Croeso conloquium, temporum calculis adhibitis cum itinere illo minime coniungi posse videretur, non nulli quidem totam illam historiolam, ut Plutarchus tradit, inter fabulas referre ausi sunt, plerique autem narrationem tam venustam et ad Solonis mores tam bene adcommodatam non temere proicientes fortasse ex ipsa temporum discrepantia illa satis sibi intellegere videbantur Solonem eo demum tempore profectum esse, quo Croesus iam Lydorum rex factus esset. Qua enim alia via facilius ex difficultatibus illis se expedivissent sane non videeri potest, cum non ita multi, ut spero, eadem levitate, qua Plutarchus chronologos praetermiserint. Sed cur propter Pisistrati tyrannidem Solonem fugisse finxerunt? Etiam ad haec respondi posse opinor. Cum enim chronologica ratione posceretur, ut Solon sub idem fere tempus Athenis excederet, quo Pisistratus ad imperium pervenit, itineris caussam quaerentes finxerunt, ut opinor, eum de omnibus rebus desperantem et Pisistratum fugientem patriam urbem reliquisse. — Sed sentio me iam aequo fuisse fusiorem et a re proposita paullulum aberravisse. Cum enim eorum tantum sententia refellenda esset, qui Solonem occupata a Pisistrato republica Croesum convenisse arbitrantur, occasione data usus sum, ut etiam non nulla ab aliis de Solonis itinere perperam dicta reicerem, cum ea contra sententiam meam adferri posse fuisset verendum.

Jam transeamus ad eorum sententiam considerandam qui putant Croesum iam multo ante Alyattis patris mortem in regni consortionem ab eo cooptatum esse. Primus in medium eam protulit Wesselingius ad Her. I 30, tum novis rationibus

eam confirmare conati sunt Larcherus ad Her. I 27 et Clintonius Fast. Hell. II App. p. 362 (297 ed. pr.) Praeterea a Wesselingio stant Wyttenbachius ad Plut. mor. p. 934 Baehrius ad Her. I 30, Kortuemius Gesch. Griechenl. I 184, alii *). Singula quae illi sententiae suae adtulerunt argumenta nunc paullo adcuratius nobis percensenda sunt.

1. Ac primum quidem Alcmaeon pater Megaclis plus aevo **) priusquam Clisthenes Sicyonius Megacli Agaristam filiam in matrimonium dedit, Croesi regiam Sardes adisse et ab eo magna auri vi donatus esse dicitur. Cum vero Clisthenes non ultra annum 548 vixerit ***) necesse esse Alcmaeon Croesum adierit iam aevo ante annum 548 Alyatte etiam tum superstite. Rationem illam constare negari quidem nequit, sed persuadere mihi non possum Alcmaeonem umquam Croesum invisisse, quamquam eius rei non minorem quam Herodotum testem habemus. Herodotus enim narrat VI 125 Alcmaeonem Lydis

---

*) Nihil moror Volneium, Schultzium, Voemelium, Westermannum, alios magna diligentia enumeratos a Baehrio ad Her. I. 86, quibus Wesselingi coniectura supersedere licuit, cum ostendere eis contigisset Alyattem iam multo ante annum 570 mortem obisse. Cum enim rebus cuiuslibet scriptoris testimonio confirmatis vel meris fabellis fidem dare nou spernerent, sane laboris non erat illius potissimum temporis rerum ordinem perturbare et quaecumque voluerunt facta esse ostendere. Quo anno Croesus Lydorum regnum adeptus sit pro certo dici non quidem potest et vix sperandum est fore ut res tantis difficultatibus obstricta umquam ad liquidum perducatur. Sufficit autem hoc loco lectores remittere ad Clintonium qui adcurata quaestione quam instituit F. H. II p. 362 effecit Croesum duodesexagesima olympiade Alyattem patrem in regno excepisse. Hanc sententiam nunc viri docti velut Grotius, Kortuemius, Dunckerus, Steinius, alii ita plerumque amplectuntur, ut in olympiade quidem illa adquiescant, sed de anno eius qui ponendus sit adhuc anceps sit eorum iudicium.

**) Herod. VI 126 *μετὰ δὲ, γενεῇ δευτέρῃ ὕστερον* (postquam Croesum Alcmaeon vidit) *Κλεισθένης μιν ὁ Σικυῶνος τύραννος ἐξήειρε.*

***) Aristot. Pol. V 9. 21. *πλεῖστον ἐγένετο χρόνον ἡ περὶ Σικυῶνα τυραννὶς ἡ τῶν Ὀρθαγόρου παίδων καὶ αὐτοῦ Ὀρθαγόρου· ἔτη δ'αὕτη διέμεινεν ἑκατόν.* Paus. VI 19, 2. *Μύρωνος ἀνάθημα τυραννήσαντος Σικυωνίων· τοῦτον ᾠκοδόμησεν ὁ Μύρων νικήσας ἅρματι τὴν τρίτην καὶ τριακοστὴν ὀλυμπιάδα* (648) Her. VI 126 ...... *Κλεισθένεϊ τῷ Ἀριστωνύμου τοῦ Μύρωνος τοῦ Ἀνδρέω.*

a Croeso Delphos ad oraculum missis administrum se praebuisse eosque comiter accepisse. Qua de re Croesum certiorem factum Sardes eum adcivisse adcitumque tanto auro donasse quantum semel corpore suo elaturus esset. Ad istam doni condicionem Alcmaeonem hanc astutiam adtulisse: pergrandi tunica amictum cothurnisque quam latissimis calceatum ad thesaurum se contulisse; ibi in acervum ramentorum procumbentem primum iuxta tibias quantum auri cepissent cothurni infersisse, deinde omnem sinum implentem atque etiam crines ramentis perspargentem et parte in os desumpta e thesauro processisse cuivis alii rei quam homini similiorem. Id videntem Croesum in cachinnum erupisse eique non modo omnia illa donavisse, sed addidisse etiam alia dona illis non minora.— Dunckerus monet (II p. 528) ne quis eius modi de Croeso narrationes in fabularum numero reponere audeat, quoniam Asiae reges illo tempore summis divitiis floruisse etiam aliunde constet. Sed de Croesi divitiis cuinam in mentem venit dubitare? Immo propterea quod omnium ditissimum eum fuisse cognovi, narratiunculas illas commenticias habendas esse existimo. Ad Croesum enim propter nominis celebritatem omnibusque decantatam liberalitatem ac magnificentiam haud pauca relata sunt quae ad eum non pertinent. Itaque si in Graecorum narrationibus compluribus, quae sunt de auro magnisque donis nomen eius nobis occurit, admodum cavendum est ne hac re decepti veras eas esse credamus. Graecorum enim consuetudo a nostra hac in re ita differt, ut illi in fabellis suis fingendis certo Croesi nomine uti soliti fuerint, ubi nos nomine non addito diceremus fortasse: *Es war einmal ein reicher König.* Hac cum re comparem aliam simillimam Graecorum poetas legenti cuique satis notam. Apud Sophoclem enim, ut ex permultis exemplis unum eligam, legimus Oed. R. 190 seq.

Ἀρεά τε τὸν μαλερόν, ὃς νῦν ἄχαλκος ἀσπίδων
φλέγει με περιβόητος ἀντιάζων
παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι πάτρας
ἄπουρον, εἴτ' ἐς μέγαν θάλαμον Ἀμφιτρίτας,

εἰτ' ἐς τὸν ἀπόξενον ὅρμον,
Θρήκιον κλύδωνα *).

Num nostri quoque poetae optarent, ut deus pestiferus inmergeretur in mare Balticum vel Atlanticum? Minime, sed haud dubie dicerent *„Möge er in das stürmische Meer versenkt werden“* vel *„in das Meer, wo es am tiefsten ist“* vel similia. Videmus igitur Graecos non modo in narratiunculis suis sed etiam alias plerumque nominibus propiis uti amasse, ubi nos appellativa usurpare consueti sumus. Haec res eo haud dubie referenda est, quod Graeci omnino indole plastica, quam nos quidem vocamus nostri temporis populos longe antecedunt. — De Croesi igitur nomine quid in fabula illa statuendum sit postquam cognovimus quaeritur, qui factum sit, ut Alcmaeonis quoque nomen in eam inrepserit. Puto Graecos re callide et facete, ut eis quidem videbatur, inventa usos esse, qua quo modo Alcmaeonidae magnas divitias suas adsecuti essent declararent. Haec enim prodere videntur ipsius Herodoti verba *οὕτω μὲν ἐπλούτησε ἡ οἰκίη αὕτη μεγάλως.*

2. Praeterea Pittacus quoque Croesum regiam dignitatem iam adeptum convenisse dicitur; cum vero Pittacus teste Diogene I 79 anno 570 iam defunctus sit, novum regni societatis illius argumentum inde deducere conati sunt. Sed videamus quibus testimoniis Pittaci et Croesi conventus comprobetur.

Herodotus narrat I. 27 Croesum, cum Graecos in Asia habitantes subegisset et vectigales sibi fecisset insulanos bello aggressurum aut Biantem aut, ut alii dicant, Pittacum, cum Sardes venisset, interrogasse, ecquid novi esset in Graecia. Tum illum, ut a facienda classe regem deterreret, narrasse

*) Ea quae Nauckius in Sophoclis editione sua ad hos versus adnotavit ad eos declarandos parum apta mihi esse videntur; dicit enim: *„das Thrakermeer, weil Ares dort heimisch ist“*; num in ipso mari an in terra ad mare sito? Nam Nauckius, ne ipse sententiae suae detrimentum inferret, nimia levitate utramque rem confudit. Sed ut hac in re coniveamus, tamen non potest intelligi, quid Sophocles ludo illo sibi voluisset, praesertim cum audientes quid in mente habuerit ex verbis eius intellecturos esse vix sperare potuerit. Mihi quidem non dubium est, quin Sophocles nihil nisi maris tempestatibus saepissime perturbati exemplum audientium animis subicere voluerit, id quod etiam *κλύδων* vocabulum haud obscure significare videtur.

Graecos ingentem equitatum conducere, quo Lydis bellum inferant. Ad haec cum Croesus vera eum loqui ratus laetitia exultaret sperans nimirum fore ut equitantes eos in continente capiat, Pittacum perquam scite ex eo quaesivisse, quid magis insulanos optare censeret, quam ut nacti Lydos in mari interciperent. Hoc sermone admodum delectatum Croesum a fabricanda classe destitisse et cum Ionibus qui insulas incolerent hospitium fecisse. — Cum Herodotus Pittaci nomen commemorans de chronologiae difficultatibus nihil dixerit, Larcherus inde conligi posse arbitratus est eum ne dubitasse quidem quin uterque si non re vera inter se convenisset at certe convenire potuisset. Sed vide ne Herodotus re non satis explorata atque ad calculos vocata socordia quadam illa concesserit, praesertim cum similia ei saepius accidisse negari non possit. In memoriam vobis redigam ea quae de Solonis itinere tradidit I 29 et 30; alia non nulla exempla inveniuntur apud Steinium ad V 94, 9 et VI 125, 4. Cum igitur Larcheri argumentatione niti non liceat, videndum nobis est, num ex ipsa narratione Pittacum et Croesum inter se convenisse sumere liceat. Manifestum est nihil ex ea concludi posse si ea quae narrantur ad Biantem pertinent: sin autem, quo magis inclino, Pittaci nomen ab initio in fabula erat, Larcheri sententia ea fortasse magis refellatur quam comprobetur, cum nomen ab eis qui difficultates chronologicas perspexerant inmutatum esse coniciendum sit. Narrationem autem illam fabulosam esse vix negari posse opinor, cum Croesum solis Pittaci commentis ut a fabricanda classe desisteret adductum esse credi nequeat. Narratiuncula illa magnarum rerum minutissima caussa adfertur, qua re Herodoti potissimum temporis fabellae saepissime cognoscuntur. Etiam Dunckerus, qui nimia plerumque tenacitate traditas a scriptoribus fabulas veras esse contendit, ista commenticia esse confitetur; sed partem tantummodo veri, ut equidem iudico, adsecutus est, cum existimet Croesum aliis rebus quo minus insulanis bellum inferret impeditum esse: debebat etiam in suspitionem vocare Croesum omnino ad classem aedificandam animum umquam intendisse; non enim credamus necesse est eos qui, cum rem facete ex-

cogitatam in scaenam producerent, fabulam illam finxerunt etiam ex rerum historia scaenam illam esse mutuatos.

Alterum testimonium Pittaci cum Croeso consuetudinis invenitur Diog. I 77 *ἐρωτηθεὶς (Πιττακός)...... ὑπὸ Κροίσου, τίς ἀρχὴ μεγίστη, „ἡ τοῦ ποικίλου," ἔφη, „ξύλου" σημαίνων τὸν νόμον.* Quis credat Croesum re vera illa ex Pittaco quaesivisse? Haud dubie is qui talia quaerentem eum fecit, quid respondendum sit iam in mente habuit. Eius modi fabellas sequiore potissimum aetate saepissime a Graecis fictas esse facillime intelleges, si in Diogene Laertio Diogenis Sinopensis vitam perlegeris, cum ad eius nomen plurimae eius modi fabellae relatae sint. Immo ipse Laertius enumeratis omnibus Diogenis dicteriis dicacitatem eius admirans addit VI 74 *εὐστοχώτατος δ'ἐγένετο ἐν ταῖς ἀπαντήσεσι τῶν λόγων, ὡς δῆλον ἐξ ὧν προειρήκαμεν.* Ceterum Pittaci cum Croeso conloquium illud ad similitudinem pernotae de Croeso et Solone narrationis fictum esse videtur; nam hic quoque Croesum speravisse consentaneum est fore ut ipsius imperium Pittacus praedicet quasi maximum. (Alia simillima narratio invenitur Diog. I 51, de qua infra explicatius dicturi sumus). Ut etiam intellegatur quo modo factum sit, ut Croesi et Pittaci nomina hac narratiuncula coniunctae sint, commonefaciam vos Pittacum, ut occasione data iam supra vidimus, leges civitati suae condidisse. Altera persona nimirum tribuenda erat barbarorum regi omnibus legibus supersedenti.

Tertium denique, quo Pittacum Croesum invisisse confirmant testimonium legitur apud Plutarchum *περὶ φιλαδελφίας* pag. 484 B. *Οἷόν ἐστι καὶ τὸ τοῦ Πιττακοῦ πρὸς τὸν βασιλέα Λυδῶν πυνθανόμενον, εἰ χρήματά ἐστιν αὐτῷ· διπλάσια, εἶπεν, ἢ ἐβουλόμην, τοῦ ἀδελφοῦ τεθνηκότος.* Lydorum regem illum Croesum fuisse adparet ex Diog. I 75, ubi eadem narratio relata est. Ne hac quidem narratiuncula demonstrari quicquam potest, cum ad Pittaci abstinentiam celebrandam inventa sit. Quod Croesus in ea alteram personam agit non iam mirandum est, cum supra de ea re iam disputaverimus. Croesus enim si non verbo, at certe re tunc temporis erat *ὁ βασιλεύς.* Posteriore tempore ubi philosophi cuiusdam abstinentiam cele-

brare studuerunt, Macedoniae regibus alteram personam semper tribuebant.

Ex eis quae disputavimus cognosci posse opinor nullum testimonium extare, quo Pittacum et Croesum inter se convenisse demonstrare liceat.

3. Iam venimus ad tertium argumentum contemplandum, quo Croesum a patre in regni societatem receptum esse Clintonius ostendere conatur. Putat enim tot res regnante Croeso factas memoriae tradi a scriptoribus quae vix ac ne vix quidem intra quattuordecim annorum spatium confici potuerint: primum enim Ephesum Croesum obsedisse; tum omnes Ioniae Aeolidisque urbes eum expugnasse; deinde *χρόνου ἐπιγενομένου*, cum Sardes divitiis florerent, Graeciae sapientes in aulam Croesi congressos esse; tum Atyn filium eius mortuum esse, quem per duos annos defleret; tum demum bellum Cyro inferendum adparare eum coepisse. Quae cum ita sint suspicandum esse Ioniam aliasque terras vivo etiam tum Alyatte a Croeso sub Lydorum potestatem esse redactas. — Ut etiam duos quibus filium Croesus defleverit annos in ratione ducamus tamen omnia illa intra quattuordecim annorum spatium evenire potuisse non video cur negemus: merito autem eo, ut videtur, Clintonius offenditur, quod, antequam sapientes vel potius Solon Sardes venit, Croesus iam tot res gessisse fertur. Cum hac in re difficultas posita sit, hoc loco plura dicere omitto.

4. Quartum quo Clintonius sententiam suam conroborare studet argumentum ipsius verbis mihi adferendum èst; dicit enim; „*Among the nations subjected by Croesus, in the enumeration of Herodotus, are the Carians. But the conquest of Caria is distinctly ascribed to Alyattes by Nicolaus Damascenus from Xanthus Lydus: and Croesus who was at the time invested with the government of Adramyttium and the adjoining country (so that Aeolis is already conquered) was required to join his father with troops to assist in the war. Aeolis, then, and Caria, part of the conquests ascribed to Croesus were subjected in the reign of his father.*“ Nicolai quo Clintonius nititur locus hice est (p. 243 Coray.): *ὅτι Ἀλυάττης ὁ Κροίσου πατὴρ, τοῦ Λυδῶν βασιλέως, ἐπὶ Καρίαν στρατεύων, παρήγγειλε τοῖς ἑαυτοῦ στρατὸν ἄγειν εἰς Σάρδεις*

ἐν ἡμέρᾳ ταχτῇ. ἐν οἷς καὶ Κροίσῳ ὅστις ἦν αὐτοῦ πρεσβύτατος τῶν παίδων ἄρχειν ἀποδεδειγμένος Ἀδραμυττίου καὶ Θήβης πεδίου. Rectissime Grotius (History of Greece III p. 199 Adn. Fisch. II pag. 96) animadvertit Clintonium ex Nicolai testimonio aequo plura conclusisse. Alyattes enim non subiecisse Cares imperio suo, sed nihil nisi bellum eis intulisse dicitur. Nec minore levitate Clintonius ex verbis *ἄρχειν ἀποδεδειγμένος Ἀδραμυττίου καὶ Θήβης πεδίου* conclusit totam Aeolidem sub Lydorum potestatem iam fuisse redactam. Praeterea *ἄρχειν* vocabulo non regem patri regni consortem, sed satrapen Croesum fuisse Nicolaus significat; haec enim satis cognosci opinor, si locum modo citatum porro legis: dicitur ibi Croesus, cum pecuniam, qua exercitum compararet, non haberet, Lydorum mercatorem quendam locupletissimum adisse eumque rogasse, ut pecuniam mutuam sibi daret. A quo cum repulsam tulisset, Dianae vovit *εἰ βασιλεύσειε τὸν οἶκον ἅπαντα καθιερῶσαι τοῦ ἐμπόρου.* Tum Croesi amicus quidam a patre suo impetravit, ut pecuniam ei daret. *Ὁ δὲ ὕστερον βασιλεὺς γενόμενος ἅμαξαν ἔδωκεν αὐτῷ μεστὴν χρυσίου καὶ τὸν οἶκον τοῦ ἐμπόρου τῇ Ἀρτέμιδι καθιέρωσεν.* Postquam vidimus, cuius modi illud regni consortium Nicolao teste fuerit, quaero num re vera tam impudentem Croesum fuisse credibile sit, ut, cum Soloni alienum illud aurum ostendisset, omnium hominum felicissimum sese praedicasset. Iure quidem mihi oppones omnia ista commenta esse, quoniam ditissimum illum Croesum in pecuniae angustias quondam adductum facere Graecis perplacuerit. Concedo; sed si Nicolaus ea vera esse credidit, minime licet ipsius testimonio Croesum eo tempore, quo bellum contra Cares gerebatur, iam regem fuisse confirmare.

5. Wesselingius denique iam ex ipso Herodoto cognovisse sibi visus est Croesum Alyatti patri regni consortem fuisse; Herodotum enim his verbis ea significare (I 92): *ἐπείτε δὲ δόντος τοῦ πατρὸς ἐκράτησε τῆς ἀρχῆς ὁ Κροῖσος.* Wesselingium secuti sunt Clintonius et Baehrius ad l. c. Ad haec Schultzius (Appar. ad annal. critic. rerum Graec. Kiliae 1826 p. 17) et Grotius responderunt ipsum loci nexum quemvis docere Herodotum non loqui de consortione regni, sed de Croesi

in regnum patris successione ipsi, non Pantaleonti fratri, a patre concessa. Itaque necesse esse videtur, ut ea quae verbis illis antecedunt hoc loco adponam. Herodotus enumeratis compluribus donariis Delphico deo oblatis dicit: *τὰ δὲ ἄλλα ἀναθήματα ἐξ ἀνδρὸς ἐγένετο οὐσίης ἐχθροῦ, ὅς οἱ (Κροίσῳ) πρὶν ἢ βασιλεῦσαι ἀντιστασιώτης κατεστήκεε συσπεύδων Πανταλέοντι γενέσθαι τὴν Λυδῶν ἀρχήν. ὁ δὲ Πανταλέων ἦν Ἀλυάττεω μὲν παῖς, Κροίσου δὲ ἀδελφεὸς οὐκ ὁμομήτριος. Κροῖσος μὲν γὰρ ἐκ Καείρης ἦν γυναικὸς Ἀλυάττῃ, Πανταλέων δὲ ἐξ Ἰάδος. ἐπείτε δὲ δόντος τοῦ πατρὸς ἐκράτησε τῆς ἀρχῆς ὁ Κροῖσος, τὸν ἄνθρωπον τὸν ἀντιπρήσσοντα ἐπὶ κνάφου ἕλκων διέφθειρε, τὴν δὲ οὐσίην αὐτοῦ ἔτι πρότερον κατιρώσας, τότε τρόπῳ τῷ εἰρημένῳ ἀνέθηκε ἐς τὰ εἴρηται.* Si haec verba ex Wesselingi ratione interpretaremur, sequeretur, opinor, filios patre vivo de regni illo consortio inter se certasse, id quod re vera factum esse credi vix potest. Haud dubie post Alyattis mortem lite illa orta Croesus, cum fratrem superasset, regnum a patre sibi traditum obtinuit. — Ceterum animadvertendum est Clintonium parum sibi constare, cum hoc quoque regni societatis illius argumentum a Wesselingio inventum priori ab ipso adlato nimia celeritate addiderit; nam utrumque inter se pugnare plane eum fugisse videtur. Apud Herodotum enim, ut vidimus, luculente dictum erat de ipsorum Lydorum regno vel, ut Clintonius mavult, de Lydorum regni consortione certamen illud inter fratres ortum esse; quo autem modo factum sit, ut post brevissimum tempus bello contra Cares gesto non Lydorum, quibus ipse Alyattes imperat, sed Aeolidis rex Croesus inveniatur, id Clintonio, ut spero, vix explicare contingat.

Satis multis verbis ostendisse mihi videor Wesselingi quoque coniectura, ex qua Alyattes aliquamdiu antequam mortuus est cum Croeso filio regnum communicaverit, difficultates illas, quibus tollendis excogitata est, obscurari potius quam tolli. Cum igitur nec Meursium nec Wesselingium audiendum esse cognoverimus iam contendere nobis licet neminem adhuc ostendere potuisse quo tempore Croesus et Solon Sardibus inter se convenerint. Itaque non possumus quin notam illam de eis narrationem existimemus fabulam pulcherrime inventam. Iam ante Wesselingi tempora qui in eandem sententiam disputa-

rent non defuerunt velut Freretus Mémoires de l'inst. Tom. V p. 277; eas autem quas adtulit sententiae suae rationes probari non posse iam Larcherus perspexit. Solis chronologicis rationibus ut narrationem fictam haberet ductus est Bruckerus Hist. crit. philos. (1742) T. I p. 444; etiam Clavierus, Histoire des premiers temps de la Grèce (Paris 1809) II p. 325 caussis quidem non additis fabulis eam adnumerare non dubitavit. Deinde nominandus est Grauertus qui temporum calculos adcuratius persecutus Solonem numquam Croesum invisisse effecit: celari quidem non potest eum in digerendis utriusque rebus non numquam lapsum esse. Postremo Grotius chronologicas illas difficultates solvi posse negavit, quamquam aliis potissimum rationibus de quibus infra dicturi sumus, ut narrationem illam fabulosam haberet se adductum esse confitetur. Cum enim speraret se ea quae de fabulae ortu disputavit omnibus persuasurum esse, adversariorum sententias adcuratius refellere neglexit. Itaque vix mirandum est, quod Baehrius postea Wesselingi sententiam illam iterum defendit, alii autem, velut Steinius, ea quae Meursius de posteriore Solonis itinere confabulatus est contra Grotium verterunt.

Omnes quicumque diiudicare conati sunt, utrum tradita ab Herodoto de Croeso et Solone narratio credenda sit an non, solis chronologicis quaestionibus explicatis plerumque iam contenti ipsius fabulae argumentum contemplari prorsus neglexerunt. Haec res eo maiorem movet admirationem, quod tota narratio, quamvis pulchra atque venusta sit, tamen, si adcuratius eam consideras, ex omnibus fere partibus tantis difficultatibus abundat, ut ex eis vel solis confictam eam esse cognoscas. Non nullas res, quibus maxime offensus sum hoc loco enumerare mihi liceat.

1. Ante omnia non paetermittendum est Herodotum, cum narret Croesum rogo iam flagrante in summo periculo versantem ab Apolline imbrem e caelo sereno repente effundente servatum esse, rem tradidisse quam commentam esse iam per se patet. Posterioris aetatis scriptores complures, velut Plutarchus, cum ista omitterent, narrationem conformaverunt, quae

veritatis quidem aliquam speciem prae se fert. Quo factum est, ut etiam recentioris temporis homines docti minime pauci eam credendam esse existiment. Sed cautione opus est, ne veterum scriptorum perversa ista ratione decipiamur. Quanto enim casu contigisset, si fabula in narrationem illam inmixta eis solis rebus contineretur, quas Herodoti quidem tempore crediderunt, nunc vero iam nemo sapiens commenticias esse negat. Lehrsius dicit Pop. Aufs. p. 205. „*Wie viel nun wenn sich einmal die Sage verräth Thatsache bleibt, kann nie wenn nicht andere Zeugnisse hinzukommen gewusst werden.*“ Si hanc rationem ad rem propositam traducimus, admodum dubium fit, num Croesus umquam rogum adscenderit, cum alia quibus id confirmes testimonia non extent: veri simile est potius non modo haec, sed etiam alia non nulla ad fabulam illam pertinere.

2. Etiam ea quae Croesus rogo iam impositus cum Cyro conlocutus esse dicitur fabulam admodum redolent, cum neque qua re ad sermocinandum commoti sint neque quo modo omnino paullo copiosius dicere tunc potuerint satis perspiciatur. Atque mihi quidem Croesum illo ipso tempore, quo rogum incenderunt, Solonis recordatum esse non est veri simile. Herodotus quoque hanc rem miratus esse videtur, cum dicat I 86 *τῷ δὲ Κροίσῳ ἑστεῶτι ἐπὶ τῆς πυρῆς ἐσελθεῖν, καίπερ ἐν κακῷ ἐόντι τοσούτῳ τὸ τοῦ Σόλωνος κ. τ. λ.* Etiam minus credo Croesum, si Solonis recordatus esset, nomine eius magna voce ter exclamato haec expressurum fuisse; finxisse potius haec aliquem puto, qui quid clamore illo efficiendum esset in mente iam habuit. Sed ut ista omnia re vera facta esse largiamur, tamen non cernitur quid Cyrum Lydorum linguae nescientem permoverit, ut interpretibus advocatis ex Croeso quid clamore illo sibi velit quaesiverit. Herodotus quidem narrat Cyrum, cum eo consilio Croesum rogo imposuisset, ut experiretur, utrum dei hominem quem in deliciis haberent servaturi essent necne, clamore illo sublato sciscitatum esse quem deorum hominumve in tanto vitae periculo invocaret. Haec autem nobis pro veris accipere non licere manifestum est', cum ea non nisi postquam Croesus divinitus vitae illo periculo liberatus esset Cyro cordi fuisse consentaneum sit.

Itaque haec quoque qui finxit quem eventum res habitura esset iam scivit. Quae cum ita sint, sciri non posse confitendum nobis est, quo modo conloquium illud ortum sit. Sed dubitandum est etiam, quem ad modum, ut res tunc erat, omnino inter se conloqui potuerint. Quo enim modo Cyrus Croesum sermocinari nolentem coegit, ut responderet, cum rogus iam flagraret? Deinde si Croesus re vera ad dicendum permotus est, num priusquam flamma comprehensus est illa narrandi tempus ei erat, praesertim cum per interpretem eis conloquendum esset. Quo modo omnia illa facta sint explicari vix potest, quo modo autem ficta sint facillime, opinor, intellegitur. Conloquio enim illo rogo iam incenso facto sermonum reminiscor quos Homerus inter pugnandum milites instituentes facit; de quibus quid iudicandum sit, iam nemo est quin sciat.

3. Baehrius in Ctesiae fragmentorum editione pag 103 et 104 optime adnotavit fraudi sibi esse, quod igne Croesum Persae interimi voluerint: quibus enim ignis fuit sanctissimus hos eo fuisse abusos ad supplicium demendum de homine condemnato non esse credibile; hoc abusu ignem sacrum quasi dehonestari atque contaminari oportuisse. Baehrius meminit etiam Herodotum III 16 vehementissime Cambysem ex Persarum mente propter impietatem reprehendere, quod Amasis, Aegyptiorum regis, corpus comburere ausus sit. Hinc iure conclusit ea quae de rogo narrantur ex vulgi mira captantis fabellis profluxisse. Errat autem, cum porro dicat: *Sed hoc multo magis probabile tonitrua et fulgura coelitus immissa Persarum animos excivisse et ad misericordiam flexisse, ut qui Croesum in vinçlis constrictum tenerent interfecturi, iam ad alia omnia extemplo sese verterent, hominemque in deorum quasi tutela repositum et liberandum et honorandum esse sibi persuaderent.* Deprompsit haec ex Ctesiae narratione quam post Herodoti demum tempora ortam esse infra exposituri sumus. Alii Herodoto eiusque narrationi patrocinari studentes ex eis quae Baehrius rectissime animadvertit concludendum esse arbitrantur Croesum non a Cyro coactum sed sua sponte in flammas se coniecturum fuisse, qua re deorum suorum gratiam sibi Lydisque conciliaret. Fabulas autem ita commutare atque cir-

cumcidere, ut credi possint, nihil est nisi ludus inanis ab arte critica plane arcendus; de illo conatu non alio modo iudicandum esse in altero huius dissertationis capite, ubi de fabulae nostrae origine dicetur, paullo uberius expósituri sumus. Si igitur eis quae Baehrius invenit recte utimur, in eo adquiescendum nobis erit, quod Croesum rogum adscendisse Solonisque nomen ibi exclamasse prorsus negamus.

4. Cum igitur dubitandum esse cognoverimus, num Croesus in summo periculo Solonis recordatus sit, ea quoque quae ante aliquot annos cum Solone conlocutus esse dicitur non nihil labefactantur. Quis enim contendere audeat ea quibus totius narrationis summa continetur fabulosa esse, reliqua vero credenda? Sed etiamsi hinc abscedimus, tamen ipsum quoque conloquium illud minimam veritatis speciem prae se fert. Veri quidem non est absimile virum sapientem qualis Solon fuit, quid felicitas esset, iam satis secum reputavisse; concedamus etiam eum felicissimos homines iam in ordinem quendam redegisse: omnia autem quae adtulit exempla eo spectant, quod ante omnia hominum felicitas quam pulcherrima morte cumulanda est neque vivus quisquam felicibus adnumerari potest. Casum profecto excederet, si Solon re vera dedita fere opera sententiam illam ipsi Croeso exposuisset, qui quam vera sit postea ipsius exemplo luculentissime probavit. Nihil autem est, quo offendamur, si credere licet eum qui Solonem illa respondentem fecit iam Croesi fatum haud ignoravisse.

Alias non nullas quae in narratione nostra occurrunt difficultates invenire haud difficile est; equidem eas, cum minoris momenti sint, enumerare omitto, ne in quaestionem paene lubricam delapsus meam potius sententiam quam ipsam exploratam veritatem adferre videar. Ex eis autem quae disputavimus iam satis intellegi posse opinor narrationem Herodoteam quocumque spectas laborare et tot tantisque difficultatibus affectam esse, ut eis mederi nullo modo liceat. Itaque ex ipso quoque narrationis nostrae argumento eam confictam esse adparet.

Cap. II.

De Croeso et Solone fabulam quamquam satis multi libellis tractaverunt, tamen perpauci quo modo orta sit exposuerunt, quoniam credendam eam esse plerique opinantur. Clavierus dicit l. c.: *l'entrevue de Crésus et de Solon est un de ces contes par lesquels Hérodote a cherché quelquefois à amuser et à instruire ses lecteurs.* Putat igitur hanc fabulam, ut aliquid doceat, excogitatam esse. In eandem sententiam disputat Kortuemius Gesch. Griechenl. I 184, cum dicat: *Das berühmte Gespräch bei Herodot I 29 ff. ist freilich in der bestimmten ausgeführten Gestalt eine moralisch-politische Fabel, aber schwerlich ohne allen Grund.* Grotius paullo copiosius exposuit, quid haec fabula doceret. Legitur apud eum l. c. *Die Erzählung von Solon und Krösus kann für nichts weiter als eine erläuternde Dichtung genommen werden, die Herodot aus einem Philosophen entlehnt und in die eigenthümliche Schönheit seines Ausdruckes eingekleidet hat .... Sie erläuert sehr die religiösen und ethischen Ideen des Alterthums, die tiefe Empfindung von der Eifersucht der Götter, die in keinem ausser sich selbst Stolz dulden wollen, die Unmöglichkeit für den Menschen sich mehr als ein sehr bescheidenes Masz von Glück zu sichern; die Gefahr vor der vergeltenden Nemesis, wenn er zu einer Zeit die Grenze überschritten hatte; die Nothwendigkeit das ganze Leben bei einer Vergleichung verschiedener Individuen in Anschlag zu bringen und einen beständigen Protest seitens der Moralphilosophen gegen leidenschaftliche Triebe und ungezügelte Bestrebungen.*" Grotio opponam Graecorum fabulas ex quibus offici praecepta capi possunt vel minima ex parte a philosophis vel ab aliis qui aliquid docere sibi proposuerant confictas esse, longe plurimas autem, ad Herodoti potissimum tempora si spectamus, ortas esse, cum Graeci divulgatis quibusdam sententiis redundantes narratiunculis eas exprimerent atque celebrarent. Itaque vix mirandum est, quod fabulae hoc modo enatae fontem saepius sapiunt, cum eaedem ex quibus profluxerunt sententiae ac rationes satis luculente in eis adpareant, immo etiam ab ipsis quae agunt personis non numquam praedicentur atque conlaudentur. Quam maxima igitur cautione opus est, ne hac re decepti nimis celeriter ad philosophos fabulas illas referamus. Eadem Curtio quoque respondeam, qui putat narrationem nostram a Graecorum sacerdotibus

excogitatam esse ad celebrandam Croesi pietatem Apollinisque gloriam (cf. Griech. Gesch. I 481). Praeter eos quos commemoravi homines doctos nemo quod sciam de fabulae nostrae ortu explicatius disseruit. Sed hoc loco eos praetermittere non licet qui de rogo quae narrantur interpretari posse sibi videntur. cf. Rochettius Mémoires de l'inst. 1847 T. XVII 2 p. 271 seq.; Walzius, Augsb. Allg. Zeit. 1857, 7. Aug. Beil.; Curtius Griech. Gesch. I 481, Steinius ad Her. I 86. Copiosissime rem persecutus est Dunckerus, apud quem legitur II 540: *„Es ist kaum zu zweifeln, dasz die Sache eine andere Bewandtnisz hatte. Krösus wollte den Sturz seines Reiches nicht überleben, er wollte den Zorn der Götter, welchem er seinen Sturz zuschrieb, von den Lydern abwenden, er wollte sich selbst dem Sandon zum Opfer bringen, d. h. er wollte sich selbst verbrennen, wie es Sardanapal vor ihm, wie es Hamilkar, Hanno's Sohn, nach ihm that. Damit konnte er hoffen, das Unglück, welches sein Fehler über das Reich gebracht, gut zu machen, den Unwillen der Götter zu sühnen, den Cyrus noch im Tode zu besiegen und für sich selbst des Wesens des Sandon theilhaftig zu werden, indem er sich wie der Gott selbst verbrannte. Wenn Nicolaus von Damascus sagt, dasz die Weiber der Lyder kostbare Gewänder und Schmuck aller Art auf den Scheiterhaufen hätten tragen lassen, dasz Krösus selbst im Purpurgewande den Holzstosz bestieg, wenn nach Herodot vierzehn lydische Jünglinge mit dem Könige auf den Scheiterhaufen gingen, so erhellt daraus, dasz die Lyder diesen Feuertod des Krösus für ein Opfer ansahen, an welchem sie Theil nehmen wollten, dasz der Scheiterhaufen in derselben Weise wie an den jährlichen Feuerfesten des Sandon geschmückt wurde. Auch auf einem Vasenbilde, welches dieses Ereignisz darstellt, ist Krösus im königlichen Schmucke auf dem Holzstosz auf dem Thron sitzend das Zepter in der einen die Opferschale in der anderen Hand dargestellt. Kyros konnte in der Absicht des Krösus sich zu tödten nur den Entschlusz finden einer langen Gefangenschaft zu entgehen, den Sturz eines blühenden Reiches nicht zu überleben; er hatte keinen Grund denselben zu hindern; das Vorhaben des Krösus wird ihm wahrscheinlich ehrenvoll und eines tüchtigen Mannes würdig erschienen sein. Noch weniger konnte er dagegen einzuwenden haben, dasz ein König im königlichen Schmuck zu sterben begehrte. Ueber den weiteren Hergang giebt Nicolaus von Damascus Aufschlusz „„Es war an jenem Tage vom frühen Morgen an trübes Wetter (χειμών) sagt dieser, jedoch kein Regen, als aber der Scheiterhaufen entzündet war, sei ein solcher Regengusz herabgefallen, dasz das Feuer sogleich ausgelöscht sei"". In diesem Regengusz, welcher die*

Vollbringung des Opfers hinderte, muszte Kroesus mit den Lydern ein Zeichen der Götter erkennen, dasz es ihr Wille nicht sei, ihn als Opfer anzunehmen. Er stand demnach von seinem Vorhaben ab. Aber auch auf Kyros konnte ein solcher Vorfall nicht ohne Wirkung bleiben; einen Mann, dessen Tod der Himmel sichtbar verhindert hatte, durfte er kaum in Gefangenschaft halten, er wird um so eher geneigt gewesen sein, ihm Gunst und Gnade zu gewähren. —

Ad illa quae respondeam haec fere habeo:

1. Ea quae Dunckerus, adtulit testimonia ad sententiam eius confirmandam minime pertinere mihi videntur. Atque in vasculi Volsiniensis imagine interpretanda sequi eum non licet, cum nesciamus, num Lydis vel potius Graecis, si ipsi deis sese inmolabant pateram manibus tenere usitatum fuerit, qua quidem quid sibi voluissent nemo sane intellegat; neque vero ignoramus Graecos vino divis rem divinam facientes pateras tenere consuevisse. Itaque ex vasculi imagine nihil concludendum esse opinor nisi ex absurda quadam fabulae nostrae forma Croesum rogo a Cyro impositum precibus illis ad Apollinem missis etiam sacrificium addidisse. Nescio an ipse artifex haec excogitaverit, cum ad deos precantem Croesum pingere difficillimum esse reputaverit: puto enim manibus ad caelum sublatis aut vultum eius tegi aut totam figuram deformari necesse fuisse. — Ne scriptorum quidem locis quibus Dunckerus nititur demonstrari quicquam potest. Quod enim Herodotus quattuordecim Lydorum adolescentes una cum Croeso rogo impositos esse narrat, ex eo equidem nihil efficio nisi Graecis Cyri iram et crudelitatem fabulis describere atque adaugere libuisse. Simili modo antiquissimis temporibus Achillem Patroclo occiso eo saevitiae pervenisse finxerunt, ut una cum amici corpore duodecim Troianorum adolescentes in flammas coniceret. Quem porro Dunckerus adfert Nicolaus Damascenus omnino non audiendus est, cum Herodoti narrationem, ut infra expostituri sumus, ad arbitrium suum tragoediae instar exornaverit atque tanta petulantia commutaverit, ut ne ipse quidem legentes fidem sibi daturos esse expectavisse videatur. Quae cum ita sint, Lydorum ancillas regis sui fortunam miserantes vestes pretiosas et permulta omnis generis ornamenta in rogum coacervasse etiam eis infitiandum esse

existimo qui Herodoteae narrationi fidem tribuunt. Sed ut ea quae Nicolaus tradidit credenda essent, tamen inde sua sponte Croesum in rogum se contulisse concludere summae levitatis esse iudico. Deinde quod Croesus purpuream vestem indutus rogum adscendisse dicitur, id ad ipsum potius Danckerum quam ad Nicolaum referendum esse videtur; nam apud Nicolaum de ea re ne verbum quidem invenitur. Maxime denique mirandum est, quod Danckerus illo die quo Croesus in rogum adscendit a primo diluculo turbidum caelum fuisse credit. Haec enim Nicolaum finxisse, cum circumspiceret quid ex fabulosa Herodoti narratione veri retinendum esset, manifestum est. Cognovimus igitur Danckerum scriptorum testimoniis prorsus carentem plane ex arbitrio suo Herodoteam narrationem circumcidisse atque commutavisse.

2. Narratio quam Danckerus hoc modo finxit, si adcuratius eam consideras, ne maiorem quidem veritatis speciem prae se fert quam Herodotea. Ut enim largiamur caelum illo die iam a solis ortu nubibus obductum fuisse, tamen quid ea re proficitur? Iam enim non intellegeretur quo iure Croesus et Cyrus imbrem illum divinitus inmissum esse credere potuissent. Itaque nescimus qua re Croesus, ut a perficiendo consilio suo destiterit, permotus sit. Num eum sua sponte rogum adscendisse per se veri sit simile, rationibus quidem disceptari nequit; ego autem illa facta esse persuadere mihi non possum: profecto credere mallem Cyrum sacrum ignem dehonestare ausum esse.

3. Danckerus etiam paucis verbis significare debebat, quo modo factum esset, ut ipsius narratio in Herodoteam converteretur, cum eius rei quae caussa fuisset non perspiceretur. Nonne Graecis licuit in Danckeriana ista narratione adquiescere hac vel illa re gliscente tempore adiecta aut commutata? Sed Danckerus fortasse putat Graecos narrationem illam, cum non satis credibilis esse eis videretur, in novam formam redegisse; tum vero ne a nobis quidem, ut ista crederemus, poscere debebat, quasi nos magis creduli essemus quam Graeci.

Postquam ea quae alii de narrationis nostrae ortu disputaverunt percensuimus, iam quae mihi ipsi sedeat sententia explanandum est. Puto de Croeso et Solone fabulam ortam

esse, cum duae fabellae quae de Croeso victo erant arctissime inter se coalescerent: utramque enim antiquioris temporis fabularum Graecarum formam et colorem prae se ferre ostendere posse mihi videor. Alteram hisce fere rebus contineri opinor: Cyrum Sardibus expugnatis capitis Croesum victum condemnavisse eumque ut vivum combureret magno rogo imposuisse. Cum Persae rogum incendissent, Apollinem Croesi fortunam miserantem repente tantum imbrem inmisisse, ut ignis statim extingueretur. Hac re commotum ipsum Cyrum in libertatem Croesum vindicavisse. — Herodotus hinc cognovit Croesum fuisse *θεοφιλέα καὶ ἄνδρα ἀγαθόν*. Puto haec nobis ita vertenda esse, ut dicamus Croesum ex Graecorum sententia fuisse *θεοφιλέα*, hinc narratiunculam illam originem duxisse. *θεοφιλής* Croesus habebatur, quia et *θεοσεβής* erat et plurima ac pretiosissima donaria deorum templis obtulerat (cf. Herod. I 50 – 52 et 92). Cognovimus ex Lehrsio (Pop. Aufs. p. 197 seq.) antiquioris temporis Graecos poetas quoque suos praeter alios homines a deis dilectos habuisse eamque sententiam ita saepius fabulis expressisse, ut a dira atque arcessita morte quae inminebat divinitus miro quodam modo liberatos eos esse fingerent. Quid igitur mirum, quod Croesum quoque quem non minus quam poetas singulari deorum tutela gaudere putabant, cum foedissima mors ei instaret, Apollinis auxilio liberatum esse finxerunt? Quibus rebus gestis fabula hoc modo orta nitatur ex ea sola explicare res est admodum lubrica: aliunde autem constat Croesum a Cyro, Persarum rege, victum et regno expulsum esse, qua ex re vitae periculum illud facillime deductum est. Qui factum sit, ut rogo Croesum impositum fecerint, sciri quidem non potest: nihilo setius ea de re hanc coniecturam proferre audeam. Herodotus tradidit I 50 Croesum lectos aureos argenteosque et phialas aureas et amictus tunicasque purpureas ingenti rogo extructo concremavisse sperantem sese his rebus Apollinem sibi conciliaturum esse. Num fortasse Apollo ea ratione qua Croesum liberavit de meritis ac de priore beneficio eum admonere voluit? Similia enim Graecos saepius finxisse negari non potest. Ex eis quae in Herodoto inveniuntur exemplis optime hanc rem comprobare mihi videntur quae de Cambysis

morte narrantur III 64. Cambysem enim in equum insilientem nudato gladio casu quodam femur suum percussisse in ea ipsa parte in qua prius Api, Aegyptiorum deo, letalem plagam intulisset idque vulnus postea, cum computruisset, fuisse mortiferum. Cum ex Herodoto intellegatur Cambysem ex Graecorum sententia propterea quod Apin interfecisset morte multatum esse, optime ex hoc exemplo discimus Graecorum deos puniendi genere quae poenae fuisset caussa non numquam significavisse. Quae cum ita sint, mihi quidem veri non est absimile Apollinem cum Croesum rogo impositum servaret, se prioris erga se pietatis gratiam ei referre significare voluisse.

Iam transeamus ad alteram fabellam contemplandam cuius argumentum hoc fere fuisse opinor: Cum Croesus divitiis suis gloriatus ex Solone quaesivisset, ecquem se beatiorem umquam nosset, hunc respondentem ante mortem neminem felicem habendum esse posterius eius fatum verbis ominosis iam portendisse. Tunc quidem Solonis nullam rationem sibi habendam esse Croesum duxisse: postquam vero acie a Cyro victus Sardibusque amissis in potestatem eius pervenisset, tum demum verissima Solonem locutum esse eum cognovisse. — Ut hanc quoque narratiunculam usitatissimam Herodotei temporis fabularum formam prae se ferre intellegatur, paullo explicatiore disputatione opus est.

Quotiescumque Herodotei temporis Graeci insignem calamitatem alicui accidisse videbant, duas res quaerere solebant, alteram quae malorum fuisset caussa, alteram qua ratione dei quae eventura essent iam praedixissent. Ad haec si adlatis rebus gestis respondere non licuit, narratiunculas fingere non dubitabant, quibus aut singulis aut ambabus quaestionibus satisfacerent. Atque quae caussae calamitatum fuerint, quanto studio Graeci quaesiverint, inde bene intellegitur, quod Herodotus VIII 114 et IX 64 contendit Mardonium proelio ad Plataeas facto poenas luisse, quod Leonidam cum trecentis Spartiatis trucidavisset. Ita miro quodam modo Graeci rerum historiam sibi comparaverunt, cum binas res gestas ita inter se componerent, ut altera alterius poena habenda esse videretur. Addam etiam aliud exemplum quod legitur Her. VI 75

Cleomenes enim dicitur, cum insanus factus gladio se ipse lacerasset perquam diram mortem obisse, *ὡς μὲν οἱ πολλοὶ λέγουσι Ἑλλήνων, ὅτι τὴν Πυθίην ἀνέγνωσε τὰ περὶ Δημάρητον γενόμενα λέγειν, ὡς δὲ Ἀθηναῖοι λέγουσι διότι ἐς Ἐλευσῖνα ἐςβαλὼν ἔκειρε τὸ τέμενος τῶν θεῶν, ὡς δὲ Ἀργεῖοι ὅτι ἐξ ἱροῦ αὐτῶν τοῦ Ἄργου Ἀργείων τους καταφυγόντας ἐκ τῆς μάχης καταγινέων κατέκοπτε καὶ αὐτὸ τὸ ἄλσος ἐν ἀλογίῃ ἔχων ἐνέπρησε.* Num Cleomenes re vera homo fuit tam impius ac nefarius? Minime, sed Graeci insaniae atque mortis eius caussam quaerentes ista omnia finxerunt. Quicumque enim Herodotum legit satis sibi persuaserit Graecos malorum vel poenarum caussas circumspicientes ad sacrilegium fingendum fuisse promptissimos. Alia non nulla quae luculentissime rem demonstrare mihi videntur exempla invenies Her. I 105 et VIII 129: plura de eis dicere, ne longus sim, supersedeo. Cum igitur Graeci summo studio circumspicere solerent, quibus sceleribus homines res adversas commeruissent, mirandum sane esset, si Croesi fatum tam insigne contemplari prorsus neglexissent. Itaque scelus aliquod a Croeso commissum quaerentes inciderunt nimirum in hybrin finxeruntque eum divitiis quondam gloriatum esse, id quod ex Graecorum sententia summum scelus fuit;

Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους
ὑπερεχθαίρει.

Iam supra occasione oblata Cambysis mortem commemorantes exposuimus in Graecorum fabulis inter poenam et scelus non numquam similitudinem quandam intercedere. Haec in nostram quoque rem cadere videntur. Cum enim Croesus omnibus divitiis suis atque regno privaretur, eis ipsis quondam gloriatum eum esse finxerunt.

Iam diximus Graecos, si quem calamitate quadam adflictum viderunt, etiam quaerere solitos esse, qua occasione dei eam eventuram esse iam significassent; *φιλέει γάρ κως προσημαίνειν, εὖτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλι ἢ ἔθνεϊ ἔσεσθαι* (Her. VI. 27). Graeci enim crediderunt deos ita hominibus prospicere, ut eis res adversas quascumque impendere viderent hac illave ratione portenderent. Sed hac in re magnis difficultatibus occurrebant: iam enim mala omnino non essent,

si homines praemoniti evitare ea possent, si minus, quid dei ea praedicentes sibi vellent? Quibus ex difficultatibus duplici modo sese expediebant: saepe enim finxerunt homines deorum signa atque nutus perperam interpretatos, cum mala evitare studerent, etiam magis ea praecipitare. Plerumque autem homines ea quae dei significaverant neglegentes et quasi res minutissimas ac ridiculas contemnentes fecerunt. Cum haec in nostra quoque de Croeso et Solone narratione facta sint, non abs re visum est oculis lectorum aliquot inlustria exempla subicere. Tomyris, Massagetarum regina, iuravisse dicitur (Her. I 212) fore ut Cyrum, nisi quam celerrime domum redeat, cruore, quamvis inexplebilis sit, tamen satiet. *Κῦρος μὲν τῶν ἐπέων οὐδένα τουτέων ἀνενειχθέντων ἐποιέετο λόγον.* Paullo post vehementissima pugna edita Cyrum devictum atque occisum esse: Tomyrin autem cum caput eius in utrem humano cruore completum demisisset ea quae ominosis verbis vaticinata erat exolvisse. — Porro Herodotus narrat (I 13) Pythiam, cum Gyges Heraclidis repulsis Lydorum imperio potitus esset, vaticinatam esse *ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω. τούτου τοῦ ἔπεος Λυδοί τε καὶ οἱ βασιλέες αὐτῶν λόγον οὐδένα ἐποιεῦντο, πρὶν δὴ ἐπετελέσθη.* Quod igitur Croesus quoque Solonis verba pro nihilo habuit, ex ea re huiusce modi fabularum forma ac natura perspecta tamquam novo argumento demonstrare potes Solonem ex Graecorum quidem mente non tam quicquam docuisse quam posterius Croesi fatum ominosis verbis portendisse.

Restat ut breviter exponamus qui factum sit, ut Solonis nomen in fabulam nostram inrepserit. De ea re quamquam pro certo nihil dici potest, tamen commemorandum est iam ipsis Graecis Solonem ad partes illas agendas maxime idoneum visum esse. Legitur enim apud Plutarchum Sol. 27 *Ἐγὼ δὲ λόγον ἔνδοξον οὕτω καὶ τοσούτους μάρτυρας ἔχοντα καί, ὃ μεῖζόν ἐστι, πρέποντα τῷ Σόλωνος ἤθει καὶ τῆς ἐκείνου μεγαλοφροσύνης καὶ σοφίας ἄξιον οὔ μοι δοκῶ προήσεσθαι κ. τ. λ.* Liceat haec Dunckeri verbis explicare atque exornare: dicit enim Gesch. d. Alterth. II p. 531: *Die uns sonst hinlänglich bekannte Anschauungsweise des Solon liegt klar und charakteristisch zu Tage, wenn auch Herodot in der vorstehenden Relation Solons Worte*

naiver gefärbt hat, als sie gesprochen sein mögen. Die genügsame Lebensansicht und das verständige Masz griechischen Sinnes konnte dem Prunk und Glanz des orientalischen Wesens gegenüber keinen glücklicheren Vertreter finden als Solon von Athen. Er am wenigsten konnte in jenem Augenblicke von des Krösus Erfolgen geblendet sein, da er eben sein Vaterland verlassen, nachdem er das Werk seines Lebens, an welchem er vierzig Jahre gearbeitet, hatte zusammenbrechen sehen. Non dubitavi Dunckeri verbis uti, quibus ipse quidem rem contrariam comprobare studet: hac enim disputatione ostendisse sibi videtur ea quae de Croesi cum Solone conloquio narrantur credenda esse; sed iam Clintonius (Fast. Hell. II p. 365) rectissime animadvertit eos qui ista finxerunt satis intellegentes fuisse, ut sermonem conloquentium moribus adcommodarent. — Grotius alio modo explicare conatur quo modo factum sit, ut Croesi et Solonis nomina narratione nostra coniungantur, cum coniciat Croesum ad regnum nondum provectum Sardibus Solonem quondam invisisse eumque conventum conloqui illius fingendi ansam praebuisse. Sed nobis vehementer negandum est eos umquam inter se convenisse cum ea ex fabula ista conicere minime liceat; nisi forte eodem iure contendis Croesum Pittacum quoque et Alcmaeonem puerili aetate quondam convenisse.

Postquam de duabus fabellis illis disseruimus, iam paucis verbis significandum est, qua ratione Herodoteam narrationem ex eis enatam esse existimem. Atque qua re effectum sit, ut narratiunculae illae tam arcte inter se coaluerint, facillime, opinor, intellegitur. Cum enim utraque quam posuimus fabula de Croesi illa calamitate fuerit consentaneum est Croesi historiam ita semper narratam esse, ut altera fabula alteram exciperet. Itaque non mirandum esse puto quod magis magisque inter se coniunctae in unam narrationem tempore contractae sunt. Sed fieri non potuit quin hac re non nullis ex partibus inmutarentur. Supra enim statuimus Croesum, cum victus regnoque privatus esset, Solonis verba recordatum esse; postquam altera fabula adcessit, iam licuit rogo eum impositum Solonis nomen inclamantem facere, qua quidem re non nihil venustatis narrationi additum est. Sed fortasse hac quoque coniectura supersedere licet; etenim si de Croeso et

Cyro fabula antiquior est, iam, cum alteram fingerent, eis quae de rogo narrabantur uti potuerunt. Narratio hoc modo orta postea porro continuata est, cum fingerent Cyrum Croesi clamoris caussam sciscitantem longiorem cum eo sermonem instituisse. Ex hoc conloquio nova Croesi liberandi caussa deducebatur, quae, cum priore credibilior esset, tempore eam submovit. — Supra coniecimus alterius narratiunculae parte quadam declaratum esse, qua re Apollo, ut Croesum rogo impositum liberaret commotus esset. Ut haec probari possint, ante omnia exponendum est, qui factum sit, ut narratiunculae pars illa postea exciderit. Puto si servata esset, aut duas fabulas illas inter se coalescere omnino non potuisse aut de Croesi erga Apollinem pietate longiorem digressionem inserendam fuisse, qua quidem re universae narrationi haud dubie plurimum pulchritudinis ac venustatis detractum esset.

Iam ante Herodoti tempora Solonis cum Croeso conloquio duae narratiunculae insertae sunt, altera de Tello, altera de Cleobi et Bitone: prior fortasse vera est, altera certe ficta; sed haec fabula tam singularis et aliarum omnium quas cognovimus tam dissimilis est, ut quo modo orta sit explicare non audeam.

Cap. III.

Postquam de narrationis nostrae, qualis quidem apud Herodotum legitur, ortu disseruimus, restat ut quo modo posteriore aetate transformata atque exornata sit, breviter exponamus. Atque primus Ctesias nobis commemorandus est, qui ut alias saepissime, ita in eis quoque quae de Sardium expugnatione narrat magnopere ab Herodoto dissentit. Ex Photi bibliotheca LXXII pag. 106 seq. cognovimus eum in Persicis suis narrasse *ὡς τρὶς ἐν τῷ ἱερῷ πεδηθεὶς* (*Κροῖσος*) *ὑπὸ Κύρου, λύεται τρίτον ἀοράτως· καίτοι σφραγίδων τῷ ἱερῷ ἐπικειμένων, καὶ τούτων τὴν φυλακὴν Οἰβαρᾶ ἐμπεπιστευμένου. ὅπως τε οἱ συνδούμενοι Κροίσῳ τὰς κεφαλὰς ἀπετέμνοντο, ὡς καταπροδιδόντες λύεσθαι Κροῖσον. καὶ ὅτι ἀναληφθεὶς ἐν τοῖς βασιλείοις, καὶ δεθεὶς ἀσφαλέστερον, βροντῶν καὶ σκηπτῶν ἐπενεχθέντων, λύεται πάλιν. καὶ τότε μόλις ὑπὸ Κύρου ἀφίεται.* Habes novam narrationem atque Herodoteae, ut videtur,

dissimillimam. Quam inter utrumque scriptorem dissensionem inde plerumque repetunt quod Ctesias ea quae Persae rettulerunt secutus sit (velut Grotius Hist. of Greece IV p. 260 et Abichtius ad Her. I 87). Haec iure quodam contendere videntur, cum Ctesias in libris suis conscribendis Persarum narrationibus atque chartis publicis (*βασιλικαῖς διφθέραις*) usus esse diserte dicatur (Diod. II 32). Sed non in omnibus quae tradidit rebus in fontibus Persicis nititur. Cum Lacedaemone libros suos composuerit, haud dubie etiam Graecorum plerumque narrationibus usus est. Equidem existimo Ctesiam etiam loco modo citato non a Persis sed ab ipsis Graecis confictam narratiunculam tradidisse. Neque enim praetermittendum est eum quamvis multum in narratione sua ab Herodoto abhorreat tamen in summa rei plane cum eo consentire, cum uterque Croesum in permagno vitae periculo versatum miro quodam modo divinitus liberatum faciat. Qua in re cum casu quodam eos inter se consentire credi nequeat, non possumus quin alteram narrationem ex altera pendere contendamus. Atque si Ctesiana prius orta esset, iam multo ante Herodoti tempora in Graecia divulgata fuisset necesse est; tum vero quid est, cur Persicam eam habeamus? Sin autem Herodoti narratio, ut iam supra ostendisse mihi videor, antiquiorem formam prae se fert, minus etiam veri simile est Ctesianam a Persis oriundam esse. Quis enim sibi persuadeat Graecam fabulam in Persiam translatam, cum ibi prorsus commutata et perversa fuerit, a Ctesia tandem domum relatam esse? An ulla re cogimur, ut illa facta esse credamus? nulla profecto, nam nihil obstat, quo minus Ctesianam narrationem post Herodoti tempora apud ipsos Graecos ortam esse concedamus. Puto haec eo quoque comprobari quod dei in ea tonitru ac fulguribus subito inmissis homines ne quid contra voluntatem suam peccent impediunt. Eius rei iam in Iliade exemplum invenimus Θ 167—171, ubi legitur:

ὣς φάτο, Τυδείδης δὲ διάνδιχα μερμήριξεν,
ἵππους τε στρέψαι καὶ ἐναντίβιον μαχέσασθαι·
τρὶς μὲν μερμήριξε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
τρὶς δ' ἄρ' ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητιέτα Ζεύς,
σῆμα τιθεὶ Τρώεσσι, μάχης ἑτεραλκέα νίκην.

Aliud exemplum invenitur apud Herodotum V 85, ubi narratur intonasse, cum Athenienses Aegina in insula deorum statuas ligno suo fabricatas rapere conarentur. Nescio an eius modi argumentum Graecis fabellis proprium habendum sit, cum ad notam illam Graecorum *δεισιδαιμονίαν* optime quadret.

Sardium expugnationem Xenophon quoque descripsit, qui non multo minus quam Ctesias, aequalis eius, ab Herodoto abhorret: narrat enim Cyrop. VII 2 Cyrum post urbem captam Croesum ad se adduci iussisse adductumque comiter compellasse et longiorem cum eo sermonem instituisse. De rogo Xenophon ne verbum quidem commemoravit, unde Wesselingius eumque secutus Baehrius concluserunt omnia quae de rogo memoriae prodita essent a Graecis esse conficta. Puto eos falsa ratione rem veram invenisse, cum Xenophontem narrationem Herodoteam vel aliam eius simillimam ante oculos habuisse necesse sit. Ut autem Xenophon toto libro res quas tradidit ex eis quae sequebatur consiliis commutavit, ita illam quoque narrationem ex arbitrio suo transformare non dubitavit. Manifestum est Cyrum ex Herodoti narratione crudelem atque inhumanum regem habendum esse; ex non nullis autem quae in scriptoribus Graecis emicant vestigiis*) adparet eum ab aliis hominem tam benignum atque clementem existimatum

---

*) Aesch. Pers. v. 768—772:

τρίτος δ'ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος, εὐδαίμων ἀνήρ,
ἄρξας ἔθηκε πᾶσιν εἰρήνην φίλοις
Λυδῶν δὲ λαὸν καὶ Φρυγῶν ἐκτήσατο
Ἰωνίαν τε πᾶσαν ἤλασεν βίᾳ.
θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν, ὡς εὔφρων ἔφυ.

Herod. III 89. *διὰ δὲ ταύτην τὴν ἐπίταξιν τοῦ φόρου καὶ παραπλήσια ταύτῃ ἄλλα λέγουσι Πέρσαι ὡς Δαρεῖος μὲν ἦν κάπηλος, Καμβύσης δὲ δεσπότης, Κῦρος δὲ πατήρ, ὁ μὲν ὅτι ἐκαπήλευε πάντα τὰ πρήγματα, ὁ δὲ ὅτι χαλεπός τε ἦν καὶ ὀλίγωρος, ὁ δὲ ὅτι ἤπιός τε καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο.*

Plato leg. III p. 694 *Πέρσαι γὰρ ὅτε μὲν τὸ μέτριον μᾶλλον δουλείας τε καὶ ἐλευθερίας ἦγον ἐπὶ Κύρου, πρῶτον μὲν αὐτοὶ ἐλεύθεροι ἐγένοντο, ἔπειτα δὲ ἄλλων πολλῶν δεσπόται· ἐλευθερίας γὰρ ἄρχοντες μεταδιδόντες ἀρχομένοις καὶ ἐπὶ τὸ ἴσον ἄγοντες μᾶλλον φίλοι τε ἦσαν στρατιῶται στρατηγοῖς καὶ προθύμους αὑτοὺς ἐν τοῖς κινδύνοις παρείχοντο, καὶ εἴ τις αὖ φρόνιμος ἦν ἐν αὐτοῖς καὶ βουλεύειν δυνατός, οὐ φθονεροῦ τοῦ βασιλέως ὄντος, διδόντος δὲ παρρησίαν καὶ τιμῶντος τούς τι δυναμένους ξυμβουλεύειν,*

esse ut Persarum magis parens quam rex putaretur. Cum Xenophon quoque ad partes illas se addixisset, in narranda Sardium expugnatione minus anxie nimirum ad exemplar suum sese adstrinxit; immo summa libertate narrationem, quam a prioribus acceperat, conformavit prout et ad Cyri mores inlustrandos et ad totius libri indolem adcommodata esse videbatur. Itaque non mirandum est, quod omnia quaecumque de Croeso rogo cremando relata erant silentio praetermisit, sive vera ea putavit sive fabulosa. Nihilo setius conloquium illud inter utrumque regem institutum retinere ei visum est, cum ad Cyri mores exornandos non nihil pertineat. Quo factum est, ut Cyrus ex Xenophontis narratione Sardibus expugnatis Croesum ad se invocet et sermocinari cum eo incipiat. Conloquium illud Xenophon composuisse videtur ut recens erat a lecto Herodoto, cum summopere eum expresserit; apud utrumque enim duas res Cyrus ex Croeso quaerit alteram num urbem captam delendam esse censeat, alteram qua re ut bellum sibi intulerit incitatus sit. Atque apud Herodotum Croesus ab urbe delenda Cyrum arcere studens exponit eum non suas et Lydorum sed iam in ipsius potestatem redactas divitias militibus diripiendas traditurum esse. Xenophon autem, cum eius modi argumentatio ad consilia eius parum apta visa sit, ethicis rationibus Cyrum ad urbem servandam adductum esse finxit. Aequum quidem esse ut milites urbe direpta laborum mercedem capiant, sed tum eventurum esse, ut pessimus quisque plurimum sibi auferat Quod ut evitetur, Croesus ei suadet, ut Lydis pro sua cuique facultate tributa imponat, unde singulis militibus praemia fiant. De

---

κοινὴν τὴν τοῦ φρονεῖν εἰς τὸ μέσον παρείχοντο δύναμιν, καὶ πάντα δὴ τότε ἐπέδωκεν αὐτοῖς δι' ἐλευθερίαν τε καὶ φιλίαν καὶ νοῦ κοινωνίαν.

Loci illi citati inveniuntur apud Denckerum Gesch. d. Alterth. II. p. 580. Addam Antisthenem quoque duos de Cyro libellos conscripsisse (Diog. VI 16), quibus clementiam et virtutem eius laudibus extulisse videtur: id conici potest ex alterius libelli his verbis servatis ab Arriano in Epictetum IV 5 *Βασιλικόν, ὦ Κῦρε, πράττειν μὲν εὖ, κακῶς δ' ἀκούειν.* Etiam Nicolaus Damascenus in eorum ,qui Cyrum regem clementissimum habuerunt numerum referendus est. Is enim omnem inhumanitatis culpam a Cyro amoliens invitum eum a Persis coactum esse narrat, ut Croesum comburendum eis traderet

belli origine et caussis Croesus apud Herodotum brevioribus verbis respondet, cum de ea re iam antea copiosius expositum sit. Xenophon contra occasione oblata usus est, ut fabulas non nullas, quas Herodotus commemoraverat, antea a se omissas hoc loco adferat. Quae cum ita sint, mihi quidem non dubium est, quin Xenophon in describenda Sardium expugnatione maxime ad Herodoteam narrationem se adplicaverit.

Transeamus nunc ad ea consideranda quae Nicolaus Damascenus de Sardium expugnatione rettulit (pag. 454—462 Val.). Satis constat Nicolaum in Lydorum rebus enarrandis Xanthi Lydiacis usum esse; quamquam adfirmari non potest eum genuino Xanthi libro niti, sed videtur alia quaedam Lydiaca ad manus habuisse ad Dionysium Scytobrachionem referenda, qui aut Xanthi librum vehementer interpolaverat aut ipsius scripta Xanthi nomini supposuerat (cf. Welck., Seeb. N. Arch. f. Philol. 1830 pag. 74). Sed de his utut statuas, tamen concedendum esse puto Dionysium aut, si mavis, ipsum Nicolaum in narratione illa conscribenda Herodotum compilavisse, cum ubique in eam multa inmixta inveniantur, quibus Herodotum reminiscaris. Ad hanc sententiam meam conroborandam duos locos inter se simillimos iuxta positos legentium oculis subiciam:

Herod. I 90.

ὁ δὲ εἶπε· „ὦ δέσποτα, ἐάσας με χαριεῖ μάλιστα τὸν θεὸν τῶν Ἑλλήνων, τὸν ἐγὼ ἐτίμησα θεῶν μάλιστα, ἐπείρεσθαι, πέμψαντα τάςδε τὰς πέδας, εἰ ἐξαπατᾶν τοὺς εὖ ποιεῦντας νόμος ἐστί οἱ· Κῦρος δὲ εἴρετο ὅτι οἱ τοῦτο ἐπηγορεύων παραιτέοιτο. Κροῖσος δὲ οἱ ἐπαλιλλόγησε πᾶσαν τὴν ἑωυτοῦ διάνοιαν καὶ τῶν χρηστηρίων τὰς ὑποκρίσις καὶ μάλιστα τὰ ἀναθήματα καὶ ὡς ἐπαρθεὶς τῷ μαντηίῳ ἐστρατεύσατο ἐπὶ Πέρσας. λέγων δὲ ταῦτα κατέβαινε αὖτις παραιτεόμενος ἐπεῖναί οἱ τῷ θεῷ τουτων ὀνειδίσαι. Κῦρος δὲ γελάσας εἶπε· „καὶ τού-

Nicol. p. 462.

ὁ δὲ εἶπεν ὦ δέσποτα, ἐπεί μέ σοι θεοὶ ἔδοσαν) σύ τε χρηστὰ ἐπαγγέλλεις αἰτοῦμαί σε δοῦναί μοι πέμψαι Πυθῶδε τὰς πέδας τάσδε καὶ τὸν θεὸν ἐρέσθαι, τί παθὼν ἐξηπάτα με τοῖς χρησμοῖς ἐπάρας στρατεύειν ἐπί σε ὡς περιεσό-*

*) Herod I 89: *ἐπείτε με θεοὶ ἔδωκαν δοῦλόν σοι.*

του τευξεαι παρ' ἐμεῦ, Κροῖσε, καὶ ἄλλου παντὸς τοῦ ἂν ἑκάστοτε δέῃ." Ὡς δὲ ταῦτα ἤκουσε ὁ Κροῖσος, πέμπων τῶν Λυδῶν ἐς Δελφοὺς ἐνετέλλετο τιθέντας τὰς πέδας ἐπὶ τοῦ νηοῦ τὸν οὐδὸν εἰρωτᾶν εἰ οὔ τι ἐπαισχύνεται τοῖσι μαντηίοισι ἐπάρας Κροῖσον στρατεύεσθαι ἐπὶ Πέρσας ὡς καταπαύσαντα τὴν Κύρου δύμαμιν, ἀπ' ἧς οἱ ἀκροθίνια τοιαῦτα γενέσθαι (δεικνύντας τὰς πέδας).

μενον, ἐξ ὅτου αὐτῷ τάδε ἀκροθίνια πέμπω (δείξας τὰς πέδας) καὶ τί δήποτε ἀμνημονοῦσι χάριτος οἱ τῶν Ἑλλήνων θεοί. Κῦρος δὲ γελάσας καὶ τάδε ἔφη δώσειν καὶ ἄλλων οὐκ ἀτυχήσειν αὐτὸν μειζόνων.

Ex tot pannis Herodoteis Nicolai narrationis ortus satis clare, opinor, cernitur. Dicitur quidem Herodotus quoque Xanthi Lydiacis usus esse (Athen. XII p. 515 D), sed ut haec sententia, quam Welckerus (l. c. p. 70) in dubium vocavit, vera sit, tamen inde similitudines illas repetere vix licebit, cum Herodotus et ipse ad Lydos narrationem suam referat (I 87) neque credi possit ea ratione historias suas eum composuisse, ut priorum scriptorum ipsa verba describeret. Herodoti narrationem Nicolaus vel potius Dionysius absurdo quodam modo amplificavit atque deformavit. Eas quas adtulit ineptias hoc loco enumerare supervacaneum esse existimo, praesertim cum omnes fere ipse excogitaverit aut fortasse ex illius temporis fabellis hauserit, ex antiquioribus autem fontibus nihil adtulisse videatur.

Ex eis quae adhuc disputavimus intellegi posse opinor nostrarum de Croeso et Solone fabularum ad antiquos quosdam Herodoto priores fontes nullam referendam esse, cum Ctesias et Xenophon et Nicolaus aut Herodoteam aut eius simillimam narrationem ante oculos habuerint necesse sit. Eam autem pro suis quisque consiliis tanta libertate commutavit, ut non mirandum sit, quod recentioris aetatis homines docti eorum narrationes ad ignotos quosdam fontes antiquissimos rettulerunt.

Posterioris aetatis scriptores qui de Croeso et Solone narrationem tradiderunt breviter tantum percurrere sufficit, cum

omnes non tam ad augendam ac transformandam quam ad decurtandam Herodoti narrationem animum intenderint. — Atque Plutarchus, qui etiam tum rem satis copiose persecutus est, maxime ad Herodotum sese adplicavit, omisso, ut iam commemoravimus, imbre illo repente effuso, adiecto autem parvulo additamento, cum Aesopum apud Croesum versantem his verbis Solonem commonentem faciat: *τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν.* Animadvertendum est etiam Plutarchum uberrimum esse in describendis Croesi opibus ac magnificentia, qua ille Solonis oculos praestringere studuerit. Quo factum est, ut posteriore tempore nova fabella ad narrationis nostrae similitudinem effingeretur. Legimus enim apud Diog. I 50 et 51: *ἐρωτηθεὶς (Σόλων) ὑπ' αὐτοῦ (Κροίσου), τίς σοι δοκεῖ εὐδαίμων; „Τέλλος," ἔφη, „Ἀθηναῖος καὶ Κλέοβις καὶ Βίτων" καὶ τὰ θρυλούμενα. φασὶ δέ τινες ὅτι κοσμήσας ἑαυτὸν ὁ Κροῖσος παντοδαπῶς καὶ καθίσας εἰς τὸν θρόνον ἤρετο αὐτὸν εἴ τι θέαμα κάλλιον τεθέαται· ὁ δὲ „ἀλεκτρυόνας," εἶπε „καὶ φασιανοὺς καὶ ταώς· φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκόσμηνται μυρίῳ καλλίονι."*

Ad Plutarchi narrationem ea quoque referenda esse videntur quae tradidit Demetrius Triclinius (ad. Trach. in.). Is enim de imbre illo repentino mentionem non facit. De Croesi magnificentia his verbis loquitur: *δεξάμενος δὲ αὐτὸν ὁ Κροῖσος δείκνυσι πάντα τὸν πλοῦτον καὶ στρατιώτας ἐν ὅπλοις χρυσοῖς βωμόν τε Ἀπόλλωνος ὁλόχρυσον.* Quod Solon apud Demetrium Cleobin et Bitonem omnium hominum felicissimos habet, altero autem loco *ἕτερον* quendam adfert, id soli memoriae lapsui dandum esse videtur.

Etiam Ioannes Tzetzes, qui narrationem nostram Herodoto duce, ut ipse dicit, tradidit (Chil. I hist. 1), imbrem ab Apolline inmissum plane omisit. Praeterea commemoratione dignum videtur, quod duobus locis Herodoteam narrationem paullulum conrigere conatus est. Cum enim reputasset Telli mortem non pulcherrimam esse quae cogitari posset, cum miles legionarius fuisset, ad imperatoris honores eum extollere ausus est. Deinde cum non intellexisset, cur deae sacerdotem curru vehi opus esset, scribere non dubitavit:

Νοσούσης τούτων τῆς μητρός, ζευχθέντες ὥσπερ βόες
Ἐς τὸ Ἡραῖον ἄγουσι τέμενος τὴν μητέρα

Omnibus nominibus mutatis de Croeso et Solone narrationem legimus apud Valerium Maximum VII 1, 2: dicitur enim ibi Gygi, Lydorum regi, an se felicior mortalis ullus praedicandus sit sciscitanti deus Delphicus Aglaum Psophidium multo beatiorem esse respondisse; in quo pro Croeso, Solone, Atheniensi habes Gygem, Apollinem, Arcadem. Notum est Graecos incredibili fere levitate nomina quae in divulgatis narrationibus invenerunt commutavisse. Huius rei compluria exempla proferre supervacaneum est, cum cuivis Diogenis librum vel potius Menagi adnotationes summa cura ac diligentia conscriptas in manus sumenti undique occurrant. Ad nostram rem declarandam haud ineptus videtur Eusebi locus X 3 p. 464 D., ubi legitur: *Ἄνδρωνος γὰρ ἐν τῷ Τρίποδι περὶ Πυθαγόρου τοῦ φιλοσόφου τὰ περὶ τὰς προῤῥήσεις ἱστορηκότος εἰπόντος τε ὡς διψήσας ποτὲ ἐν Μεταποντίῳ καὶ ἔκ τινος φρέατος ἀνιμήσας καὶ πιὼν προεῖπεν, ὡς εἰς τρίτην ἡμέραν ἔσοιτο σεισμός, καὶ ἑτερά τινα τούτοις ἐπαγαγὼν ἐπιλέγει· ταῦτ' οὖν τοῦ Ἄνδρωνος περὶ Πυθαγόρου ἱστορηκότος, πάντα ὑφείλετο Θεόπομπος. εἰ μὲν περὶ Πυθαγόρου λέγων, τάχα ἂν καὶ ἕτεροι ἠπίσταντο περὶ αὐτοῦ καὶ ἔλεγον, ταῦτα καὶ αὐτὸς ἂν εἶπεν. νῦν δὲ τὴν κλοπὴν δήλην πεποίηκεν ἡ τοῦ ὀνόματος μετάθεσις. τοῖς μὲν γὰρ πράγμασι κέχρηται τοῖς αὐτοῖς ἕτερον δ'ὄνομα μετενήνοχε. Φερεκύδην γὰρ τὸν Σύριον πεποίηκε ταῦτα προλέγοντα· οὐ μόνον δὲ τούτῳ τῷ ὀνόματι ἀποκρύπτει τὴν κλοπήν, ἀλλὰ καὶ τόπων μεταθέσει· τό τε γὰρ περὶ τῆς προῤῥήσεως τοῦ σεισμοῦ ἐν Μεταποντίῳ ὑπ' Ἄνδρωνος ῥηθέν, ἐν Συρίᾳ εἰρῆσθαί φησιν ὁ Θεόπομπος.* — Aglai nomen apud Ausonium quoque invenitur, qui hos versus Solonem pronuntiantem facit (Lud. Sept. Sap.)

.... rogat beatum si quem noverim
Tellana dico, civem non ignobilem;
Pro patria pugnans iste vitam obiecerat.
Despexit; alium quaerit; inveni Aglaum
Fines qui agelli proprii nunquam excesserat.

Tellane non alium hominem quam Tellum significari per se patet; alias huius nominis conruptiones conlegit Aeg. Men.

ad Diog. I 50. De Aglao Pausanias quoque conferendus est qui dicit VIII 24, 13 *ὃν δὲ ἤκουσα ἐν Ψωφῖδι ἐπὶ Ἀγλαῷ λόγον ἀνδρὶ Ψωφιδίῳ κατὰ Κροῖσον τὸν Λυδὸν ὄντι ἡλικίαν, ὡς ὁ Ἀγλαὸς τὸν χρόνον τοῦ βίου πάντα γένοιτο εὐδαίμων, οὔ με ἔπειθεν ὁ λόγος.*

Alii non nulli sequioris aetatis scriptores, de quibus Meursius disseruit (Sol. p. 105) summa libertate in transformanda narratione nostra usi sunt, velut Cedrenus qui Solonem captum potius a Croeso fuisse quam sponte sua ac vocatum ad eum profectum esse memorat. Idem Soloni felicissimos homines enumeranti Diogenis cynici mentionem tribuit qui centesimo fere anno vivere incepit postquam Solon desiit. — Petulantia quadam narrationem nostram mutilatam atque perturbatam invenimus Mythogr. Vat. ed. Bod. (Cellis 1834) I 196 (et eisdem fere verbis narratam II 190); legimus ibi: *Croesus, rex Lydorum, aliquando a rege Persarum Cyro captus rogo est suppositus. Subito tanta pluvia exorta est, ut ignis exstingueretur et ipse occasionem inveniret fugiendi. Hoc cum prospere sibi evenisse gloriaretur, opum etiam immensitate nimium se iactaret, dictum est ei a Solone, uno de septem sapientibus, non debere quemquam in divitiis et prosperitate gloriari, cum nesciamus quid superventura pariat dies. Eadem nocte vidit in somnis quod Iuppiter aqua eum perfunderet solque exstingueret. Quod cum filiae suae Phaniae nuntiaret, illa, ut res se habuit, prudenter resolvit dicens, quod cruci esset affigendus et aqua perfundendus et a sole siccandus. Quod postea ita contigit; nam rursus captus a Cyro et cruci fixus est.* Qui hanc fabellam excogitavit haud dubie ea quae Herod. III 124 narrantur in mente habuit. Cum enim Polycrates Magnesiam ad Oroeten proficisci animum induxisset, filia eius per quietem patrem vidisse dicitur sublimen esse in aere atque lavari a Iove et inungi a sole. Nihilo minus Polycrates spreto filiae atque vatum consilio navem conscendit et Magnesiam se contulit. Ibi foedo modo ab Oroeta occisus, cum cruci adfixus esset, universum filiae somnium explevit: ex cruce enim suspensus lavabatur a Iove, quando pluebat, et inungebatur a sole humorem ipse e corpore emittens.

Vita.

Rudolphus Iulius Guilelmus Schubert a. d. XII Kal. Jun. anni 1844 *in patris praedio natus sum Gruenheide nominato haud procul ab urbe Lithuaniae Insterburg sito patre Eduardo matre Mariana e gente Heydenreich, quam praematura morte mihi ereptam valde lugeo. Ecclesiae me adscripserunt evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus in sextam scholae Insterburgensis classem receptus sum. Novem annis post maturitatis testimonium cum essem adeptus per biennium gymnasium Insterburgense frequentavi, cui praeest Eduardus Krah, vir magnae in me benevolentiae. Dignus ubi declaratus sum qui in academiam abirem autumno anni* 1862 *ad tractanda philologiae studia Bonnam me contuli ibique per annum scholis interfui quas habuerunt Ritschl, Jahn, Ritter, Wachsmuth, Brandis, alii: tum Bonna relicta Regimontium transmigravi, ubi per duos annos et dimidium plurimam operam navavi scholis a professoribus Lehrs et Friedlaender institutis; seminarii philologici fui sodalis. Deinde universitatem Berolinensem adii, cuius per ter sex menses civis fui; ibi docuerunt me professores Haupt, Kirchhoff, Huebner, Jordan, Droysen, Kiepert, Steinthal; nec non societati philologicae ab Aemilio Huebner professore rectae per unum annum interfui. Interrupta sunt studia mea aliqua ex parte bello in Austriacos exorto cuius miles fui particeps.*